QUAE SINT INDICIA VETERIS AB EPIPHANIO IN RELATIONE DE CATAPHRYGIBUS (PAN. HAER. XLVIII) A SECUNDA PARAGRAPHO USQUE AD TERTIAM DECIMAM USURPATI FONTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

THEOLOGICO-HISTORICA

QUAM

ORDINIS THEOLOGORUM SUMME REVERENDI

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN ACADEMIA ALBERTINA

AD LICENTIATI IN THEOLOGIA HONORES

RITE OBTINENDOS

A. D. XIII. CAL. APRIL. MDCCCXC HORA XII

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS GISBERTUS VOIGT

MINISTER VERBI DIVINI.

ADVERSARIORUM PARTES SUSTINEBUNT

ARMINIUS ROQUETTE, CAND. THEOL.,

ET

OTTO SOMMER, CAND. THEOL.

REGIMONTI

EX OFFICINA LEUPOLDIANA.

MDCCCXC.

R. A. Lipsius in suo opere, quod inscripsit „Zur Quellenkritik des Epiphanios“ (Wien 1865), ex Epiphanii relatione de Cataphrygibus (Pan. haer. XLVIII ed. Dind. II p. 426 sqq.) excernit paragraphos a secunda usque ad tertiam decimam iudicans, has ex priore quodam fonte pendere primis Montanismi temporibus conscripto. Quam opinionem plus minus N. Bonwetsch (Die Geschichte des Montanismus Erlangen 1881 p. 37 sq.) et A. Hilgenfeld (Die Ketzergeschichte des Urchristenthums Leipzig 1884 p. 577) probaverunt. Neque hi neque Lipsius omiserunt de auctore illius veteris libelli, quem Epiphanius usurpavit, coniecturas ponere. Harum tractationem differo hic inquirens, num revera nostro loco vestigia prioris aetatis sint. Quod certe affirmandum est.

Id quidem mihi manifestum esse non videtur, quomodo ex illo discrimine, quod intercedit inter vocem evangelii nostro loco (§ 10) citatam et inter textum novi testamenti nobis traditum, appareat, Epiphanium antiquiorem scriptorem exscripsisse. Quod cum Lipsius assereret (p. 228), docere debebat, Epiphanium semper verbo tenus scripturam sanctam reddidisse, quod vix fieri potest. Nam si Epiphanius id studuisset, oportuit eum etiam prave vel negligenter traditam vocem evangelii corrigere.

Ceterum infitiari non possum verborum ex novo testamento allatorum plura a textu nobis tradito discrepare quam cum eo convenire, locorum vero ex vetere testamento prola-

torum plures cum LXX consentire quam ab eis differre, unde quispiam eo inclinet ut suspicetur, eo tempore, quo nostri loci fons oreretur, textum novi testamenti nondum ut textum veteris testamenti sanctum ductum esse. Quod tamen non probo. Nam si non modo novum sed etiam vetus testamentum hic illic negligenter redditum est, iam facile intelligitur, illa via nihil effici posse.[1])

Si porro Lipsius (p. 229) id, quod monarchianismus oraculorum Montani (§ 11) non oppugnatur, indicium esse censet primae Montanismi aetatis, etiam huic argumento saltem, quale a Lipsio est formatum, assentiri non possum. Neque enim mihi dubium est, quin Ritschl[2]) erraverit, monarchianismum principalis Montanismi Asiatici theologiam fuisse declarans. Quod cum per effata cum prophetissarum tum Montani evincere vellet, non felicem eventum habuit. Nonne ecclesia cum semper postea tum iam illo tempore

---

1) Ut hanc rem magis perspicias, confer, quomodo Matthaeus cum Luca misceatur (§ 12 cf. Matth. 8, 29; Luc. 4, 34), Joannis 7, 37 cum Jesaiae 55, 1 (§ 13), prima epistola ad Timotheum cum secunda (§ 8 cf. Tim. I, 4, 1; Tim. II, 3, 1), Col. 1, 19 cum Col. 2, 9 (§ 11), et quam negligenter, ut minora (§ 8 cf. Act. 1, 11; § 8 cf. Act. 21, 11; § 9 cf. Tim. I, 5, 11. 14) praeteream, citentur Luc. 9, 23 (§ 13 ed. Dind. vol. II p. 441), Joann. 5, 43; 16, 7 (§ 11), Act 10, 11—14; 11, 5—8 (§ 7), Act. 4, 20 (§ 12), Rom. 15, 1 (§ 9), I. Cor. 12, 11 (§ 12), Col. 2, 19 (§ 11), Tim. I, 4, 1—3 (§ 8), Apoc. 1, 1; 9, 17 (§ 10). Quis vero est, quin primo lapsum memoriae suspicetur, cum non verisimile sit, scriptores ecclesiae veteris semper volumina seu codices scripturae sanctae secum tulisse. Ceterum apostolorum epistolae non modo rarius in ecclesia legebantur quam evangelium, sed etiam sine dubio omnino non tam facile a memoria tenentur quam illud. Ut etiam nonnullos locos veteris testamenti nominem, qui nostro loco negligenter reddita sunt, provoco ad Num. 12, 7; Jes. 6, 1 sqq. (§ 3), Ezech. 4, 9—14 (§ 3), Gen. 15, 12 sqq. (§ 7). Satis accurate citantur Gen. 2, 21. 23. 24 (§ 4. 6), Gen. 3, 5 (§ 10), ps. 115, 2 (§ 7), Jes. 1, 1 (§ 3), Jes. 1, 19; 58, 14 (§ 13), Hebr. 12, 21 (§ 7), Act. 11, 28 (§ 8), Matth. 7, 15 (§ 3), Matth. 19, 21 (§ 9), Luc. 10, 16 (§ 12), Joann. 16, 14 (§ 11), Jo. 10, 36 (§ 12), I. Cor. 11, 1 (§ 12), Act. 16, 17 (§ 12), I. Jo. 4, 1 (§ 1).

2) Die Entstehung der altkatholischen Kirche II. Aufl. p. 488 sqq.

aptissimum putavit, spiritum sanctum modo ex persona patris modo ex persona filii aut ex persona spiritus sancti ipsius loqui, quamvis multum abesset, ut monarchianismum probaret.[1]) Ceterum si Montanus monarchianismum prae se tulisset, cum noster locus hunc non aggrediatur, oportuit Lipsium etiam nostri loci auctorem monarchianismo deditum fuisse asserere. Sed id non vult (p. 229). Ex his igitur et ex aliis causis hoc certe efficitur, Montanum quaestionibus dogmaticis operam non dedisse neque per sua effata theologiam quandam defendere voluisse. Sed postea controversia trinitaria totam ecclesiam movens etiam Cataphryges in duas partes discidit et Pseudotertullianus, qui tertio saeculo ineunte scripsit, iam illas duas partes memorat vel nomina capitum tradens. Quare hoc certe teneo, quia de monarchianismo Cataphrygum nostro loco nihil dicatur, verisimillimum esse, eum ex fonte esse haustum, qui primis temporibus Montanismi natus esset, praesertim cum Epiphanii aetate atque iam antea paene omnes Montanistae monarchiani fuisse videantur.[2])

Quod vero ad cetera argumenta Lipsii attinet, optime stant. Quia autem vir ille doctissimus ea nonnisi perstringit, accuratius ea indagare non supervacaneum est.

Inprimis notandum est, quod noster locus tot oracula Cataphrygum continet. Quae per auditum ad Epiphanium

---

1) Cf. Tert. adv. Prax. c. 11; Just. Apol. I, 36. 37. 38; nostrum locum (§ 12).

2) Didymus Alexandrinus (+ 394 vel 399), qui tertio libro suo de trinitate, ut Bonwetsch rectissime vidit (l. c. p. 46), veterem de Montanistis fontem usurpavit, omnes Cataphryges monarchianos describit. De trin. III, 41 apud Migne Patrol. graec. t. 39: *Καὶ Μοντανιστῶν ἡ πλάνη ἐν τούτοις· Α'. Πρῶτον, ὅτι ἀπομαντεύονται ἓν πρόσωπον εἶναι τῶν τριῶν θείων ὑποστάσεων. Μοντανὸς γὰρ, φησὶν, εἶπεν· „Ἐγά εἰμι ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς καὶ ὁ Παράκλητος κτλ* cf. Hilgenfeld l. c. p. 576. Jam antea autem non modo Pseudotertullianus sed etiam Philosophumena Montanistarum patripassianorum mentionem fecerunt (VIII, 19).

pervenisse aut ab Epiphanio ex Cataphrygum libris sanctis, quorum numerus tantus fuit[1]), excerpta esse, non verisimile est. Quando enim vaga et fallax fama tantam ac tam certam materiam tradidit? Si vero Epiphanius Cataphrygum ipsorum libros legisset, hoc nos sine dubio non celasset. Nonne iactat se Marcionis et evangelium et apostolicum inspexisse (haer. XLII, 10)? Huc accedit, quod fontes, ex quibus de Cataphrygibus hausit si non nominatim, attamen satis clare definit (§ 15), ut cognoscere possimus Montanistarum ipsorum libros inter eos non fuisse[2]). Neque dubium est, quin hi Epiphanii tempore nusquam nisi inter Cataphryges ipsos fuerint. Itaque id unum restat, ut censeamus, eum illa oracula ex libro, qui ea refutare vellet, sumpsisse. Et hunc prima Montanismi aetate scriptum esse, existimare statim aptissimum videtur. Quid vero? Si oracula nostri loci ex libro hausta sunt, qui Montanismum refutare voluit, num credibile est, Epiphanium has refutationes priores ipsas neglexisse? Minime! Ergo reliquum est, ut inspiciamus, num refutationes nostri loci hanc nostram opinionem, etiam ipsas esse ex vetere fonte repetitas, infirment. Optime autem eam affirmant neque Lipsius erravit, arbitratus, etiam refutationes nostri loci vestigia prioris temporis prae se ferre. Etenim non generatim aut vage scriptor in eis cum adversariis agit, sed singulas eorum vanas opiniones refellit. Primum spectat ad illa Cataphrygum „*δεῖ τὰ χαρίσματα δέχεσθαι*“ „*οὐκ ἀργεῖ ἡ χάρις ἐν ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ*“ (§ 2) et postea quoque ad haec respicit.[3]) Deinde contra formam novae prophetiae id est ecstasim

---

1) Eus. h. e. VI, 20, 3 Philos. VIII, 19.

2) § 15: „*ἐπηγγειλάμεθα γὰρ ἀπὸ ἑκάστης ἧς ἴσμεν αἱρέσεως μὴ φθονέσαι, ἀλλὰ ὑποφῆναι ἅ τε δι' ἀκοῆς, ἅ τε διὰ συγγραμμάτων, ἅ τε ὑπὸ ἐγγράφων, ἅ τε ὑπό τινων ἀληθῶς πιστωσαμένων τὴν ἡμῶν ἔννοιαν κατειλήφαμεν.*“ Montanistarum ipsorum libros lucidius significasset.

3) § 8 ed. Dind. p. 434 l. 17 § 11 D. p. 438 l. 14 § 12 D. p. 439 l. 18.

pugnat (§ 3—10). Et quam multa affert, ut doceat, in ecstasi amentiae prophetas neque veteris testamenti neque novi testamenti fuisse! Quot argumenta adversariorum ex scriptura sancta sumpta infirmat! Nota etiam illud argumentum adversariorum „οὐχ ὅμοια τὰ πρῶτα χαρίσματα τοῖς ἐσχάτοις“ (§ 8). Tales altercationes inter ecclesiam et Montanistas etiam Epiphanii temporibus agitatas esse nobis non notum est. Circiter duo saecula iam fluxerant, postquam principes ecstaticae prophetiae mortui sunt, et licet prophetae et prophetissae inter Montanistas adhuc fuerint, certum est hos extra Phrygum conventicula notiores non fuisse. Adde quod Cataphryges in certas regiones erant redacti, quas Epiphanius ipse nominat (§ 14), et hic identidem monstrat, quam incerta sit sua ipsius experientia de Cataphrygibus et eorum familiaribus[1]). Quis igitur est, qui putet, his temporibus tam speciatim contra Cataphryges dimicatum esse, quam nostro loco fit. Sed olim erat tempus, cum Montanismus totam ecclesiam ab oriente usque ad occidentem moveret et eam cogeret consilium capere, utrum ecstaticam formam prophetiae, quae prophetarum Cataphrygiorum erat, agnoscere vellet necne. Tum ut scimus ex aliis illius temporis instrumentis, et Cataphryges ecclesiae ingerebant „δεῖ τὰ χαρίσματα δέχεσθαι“ et erant, qui e contrario assererent, charismata post apostolos desiisse.

Quid enim est, quod ex praefatione passionis sanctarum Perpetuae et Felicitatis circiter a. 205 p. Chr. conscripta elucet haec verba faciente: „Sed viderint, qui unam virtutem Spiritus unius sancti pro aetatibus iudicent temporum: cum maiora reputanda sint novitiora quaeque ut novissimiora, secundum exuperationem gratiae in ultima seculi spatia decreta. In novissimis enim diebus, dicit Dominus, effun-

---

1) § 14 D. p. 442 l. 28. p. 443 l. 4. haer. XLIX § 1 D. p. 444 l. 25 p. 445 l. 9. 10.

dam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii filiaeque eorum, et super servos et ancillas meas de meo Spiritu effundam: et iuvenes visiones videbunt, et senes somnia somniabunt. Itaque et nos, qui sicut prophetias, ita et visiones novas, pariter repromissas, et agnoscimus et honoramus; caeterasque virtutes Spiritus Sancti ad instrumentum Ecclesiae deputamus, cui et missus est idem omnia donativa administrans in omnibus, prout unicuique distribuit Dominus; necessario et digerimus, et ad gloriam Dei lectione celebramus, ut ne qua aut imbecillitas aut desperatio fidei apud veteres tantum aestimet gratiam divinitatis conversatam, sive martyrum, sive in revelationum dignatione: cum semper Deus operetur quae repromisit, non credentibus in testimonium, credentibus in beneficium."[1])

Nonne hic manifestum est, auctorem praefationis Montanisticum inculcare charismata non modo semper in ecclesia manere sed etiam augeri, contra fuisse quosdam, qui putarent, apud veteres quidem ea fuisse, deinde autem evanuisse? Adde quod illud prius non multo post etiam Philosophumena testantur: „*Ὑπὲρ δὲ ἀποστόλους καὶ πᾶν χάρισμα ταῦτα τὰ γύναια δοξάζουσιν, ὡς τολμᾶν πλεῖόν τι Χριστοῦ ἐν τούτοις λέγειν τινὰς αὐτῶν γεγονέναι*" (VIII, 19). Sed vel clarius videbimus, si Tertullianum, ad quem nos iam Lipsius remisit (p. 225), accuratius cum nostro loco contulerimus. Ut enim notum est, Tertullianus amplum opus de ecstasi scripsit, quod esse deperditum valde lugemus. Quanta enim lumina nobis accenderet in quaestionibus adhuc admodum obscuris, eis dicere non opus est, qui in his rebus sunt paululum versati. Sed nonnulla argumenti illius operis ex aliis Tertulliani libris suspicari possumus et haec nunc

---

1) Fr. Muenteri primordia ecclesiae Africanae Hafniae 1829 p. 227 sq.; Acta martyrum ed. P. Theod. Ruinart Ratisbonae 1859 p. 137 sq.

cum nostro loco componam. Primum una eademque forma prophetiae est, quam et noster locus repudiat et Tertullianus veram esse affirmat, atque qui nostrum locum latine reddere velit, consulat Tertullianum! Verba eius sunt haec:

Adv. Marc. IV, 22 (p. 215 sq.)[1]: „Quomodo nesciens (scil. Petrus Luc. 9,33)? Utrumne simplici errore, an ratione qua defendimus in causa novae prophetiae gratiae ecstasin, id est amentiam, convenire? In spiritu enim homo constitutus, praesertim cum gloriam dei conspicit, vel cum per ipsum deus loquitur, necesse est excidat sensu, obumbratus scilicet virtute divina, de quo inter nos et psychicos quaestio est. . . . . ." „Et ita quod dixisset in spiritu, non in sensu, constitutus, scire non poterat." Adv. Marc. V, 8 (p. 298): „aliquam orationem, duntaxat spiritalem, in ecstasi, id est amentia."

De anima 21 (p. 589): „hoc postea obvenit, cum in illum deus amentiam immisit, spiritalem vim, qua constat prophetia". De anima 45 (p. 628): „Hanc vim ecstasin dicimus, excessum sensus et amentiae instar . . . . . Hoc erit proprietas amentiae huius, quia non fit ex corruptela bonae valetudinis, sed ex ratione naturae; nec enim exterminat, sed avocat mentem. Aliud est concutere, aliud movere, aliud evertere, aliud agitare. Igitur quod memoria suppetit, sanitas mentis est, quod sanitas mentis salva memoria stupet, amentiae genus est." Quibuscum vocibus componendae sunt illae nostri loci *ἀφραίνων* § 5 p. 432 l. 7. § 7 p. 433 l. 10 (amens); *εὐσταθῶν τῇ διανοίᾳ* § 8 p. 434 l. 27; *μετὰ καταστάσεως λογισμῶν καὶ παρακολουθήσεως* § 3 p. 429 (non in sensu constitutus", „excidat sensu", „excessum sensus"); *ἐν ἐκστάσει ἀφροσύνης* § 5 p. 432 l. 11; *ἐν ἐκστάσει διανοίας* § 3 p. 429 l. 23; *ἐν ἐκστάσει λογισμῶν* § 7 p. 433 l. 16; *ἐν ἐκστάσει φρενῶν* § 4 p. 431 l. 2, § 7 p. 433 l. 22, § 7

1) ed. Oehler. tom. II.

p. 434 l. 5; *ἐν ἐκστάσει φρενῶν καὶ διανοημάτων* § 6 p. 432 l. 25 („ecstasis id est amentia"). Quis est, quin videat inter illam formam, quam Tertullianus in causa novae prophetiae defendit, et illam, quam noster locus infestat, ne minimum quidem discrimen esse? Huc accedit, quod uterque de eodem loco Genesis (2,21—24) agit, et oro te, ut hanc tabulam diligentius inspicias:

De anima 11 (p. 573): Nam etsi Adam statim prophetavit magnum illud sacramentum in Christum et ecclesiam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea; propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et agglutinabit se uxori suae, et erunt duo in unam carnem (v. 23. 24), accidentiam spiritus passus est. Cecidit enim ecstasis (v. 21) super illum, sancti spiritus vis operatrix prophetiae. De an. 21 (p. 589): Si quia prophetavit magnum illud sacramentum in Christum et ecclesiam: Hoc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea, vocabitur mulier; propterea relinquet homo patrem et matrem, et agglutinabitur mulieri suae, et erunt duo in carnem unam (v. 23.	§ 4 (p. 430): *Εἰ δὲ θελήσουσι παραπλέκειν τῇ ἀληθείᾳ τὸ ψεῦδος καὶ ἀγνοεῖν τὸν νοῦν τόν τῆς ἀκριβείας ἐπιμελόμενον, ἑαυτοῖς δὲ ἐπισωρεύουσι λόγους, δι᾿ ὧν παραποιητεύονται τὴν ἑαυτῶν πλάνην ὁμοίαν τινὰ (ἕνα) λέγοντες, ἵνα δὴ παραστήσωσιν ἀπὸ τοῦ τὴν ἁγίαν γραφὴν εἰρηκέναι „ἐπέβαλεν ὁ θεὸς ἔκστασιν ἐπὶ τὸν Ἀδὰμ, καὶ ὕπνωσε." ἀλλὰ οὐκέτι ὅμοιον τούτῳ ἂν εἴη ἐκεῖνο. οὐ γὰρ καὶ ἐνταῦθα σῶμα ἔμελλε πλάσσειν ὁ θεὸς ἀφ᾿ οὗ εἰς ἔκστασιν ἔφερεν, ἵνα τὰ ὅμοια ἐπενέγκῃ δι᾿ ὑπερβολὴν τῆς φιλανθρωπίας τῷ γὰρ Ἀδὰμ ἐπήνεγκε τὴν ἔκστασιν τοῦ ὕπνου, οὐκ ἔκστασιν φρενῶν.* § 6 (p. 432): *ἀλλὰ οὐκ ἦν ἐν ἐκστάσει φρενῶν καὶ διανοημάτων. εὐθὺς γὰρ ἀναστὰς ἐπέγνω, καὶ εἶπε „τοῦτο νῦν ὀστοῦν ἐκ τῶν ὀστῶν μου, καὶ σὰρξ ἐκ τῆς σαρκός*

24); hoc postea obvenit, cum in illum deus amentiam immisit, spiritalem vim, qua constat prophetia.

De an. 45 (p. 628): Sic et in primordio somnus cum ecstasi dedicatus: Et misit deus ecstasin in Adam, et obdormivit (v. 21.).

De iei. 3 (p. 855)[1]: Acceperat Adam a deo legem non gustandi de arbore agnitionis boni et mali, moriturus si gustasset. Verum et ipse tunc in psychicum reversus post ecstasin spiritalem, in qua magnum illud sacramentum in Christum et ecclesiam prophetaverat (v. 23. 24), nec iam capiens quae erant spiritus, facilius ventri quam deo cessit."

μου· αὕτη κληθήσεται γυνή, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη αὕτη." καὶ ἐπίσταται γάρ, ὡς ὁρᾷς, καὶ τὰ πρῶτα καὶ τὰ παρόντα καὶ προφητεύει περὶ τῶν μελλόντων. ἰδοὺ γὰρ ἐπέγνω τὰ πρῶτα, ὅτε ἦν ἐν ὕπνῳ, λέγων ὅτι ὀστοῦν ἐκ τῶν ὀστῶν μου. καὶ ἐπέγνω τὰ παρόντα, μετὰ τὸ πλασθῆναι τὴν γυναῖκα, ἐπιγνοὺς αὐτὴν ἀπὸ τοῦ σώματος ἠρμένην. καὶ ἐπροφήτευσε περὶ τῶν ἐσομένων, ὅτι ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. ταῦτα δὲ οὐκ ἐκστατικοῦ ἀνδρὸς, οὐδὲ ἀπαρακολουθήτου, ἀλλὰ ἐρρωμένην ἔχοντος τὴν διάνοιαν."

Quibus perspectis non opus est, copiosius monstrare, plane eandem interpretationem illius loci Genesis esse, quam alter ponat et quam alter oppugnet. Etenim luce clarius est, et Tertullianum docere, cum somno Adami ecstasim propheticam fuisse coniunctam, qua Adamus prophetaret, et nostro loco statui, Adamum ex somno experrectum prophetasse. Inprimis deinde notanda sunt, quae uterque hac occasione de somnio docet:

De an. 45 (p. 628): Igitur cum quies corporibus evenit, quorum solatium proprium

Epiph. h. XLVIII § 4: ἔκστασις δὲ κατὰ διαφορὰς πολλὰς ἔχει τὸν τρόπον. ἔκστασις δι'

1) ed. Oehler tom. I.

est, vacans illa a solatio alieno non quiescit, et si caret opera membrorum corporalium, suis utitur. Concipe gladiatorem sine armis, vel aurigam sine curriculis, gesticulantes omnem habitum artis suae atque conatum: pugnatur, certatur, sed vacua iactatio est. Nihilominus tamen fieri videntur quae fieri tamen non videntur; actu enim fiunt, effectu vero non fiunt. Hanc vim ecstasin dicimus, excessum sensus et amentiae instar. Sic et in primordio somnus cum ecstasi dedicatus: Et misit deus ecstasin in Adam, et obdormivit. Somnus enim corpori provenit in quietem, ecstasis animae accessit adversus quietem, et inde iam forma somnum ecstasi miscens et natura de forma. Denique et oblectamur et contristamur et conterremur in somniis quam affecte et anxie et passibiliter, cum in nullo permoveremur, a vacuis scilicet imaginibus, si compotes somniaremus.

Denique et bona facta

ὑπερβολὴν θαύματος λέγεται, καὶ ἔκστασις λέγεται ἡ μανία, διὰ τὸ ἐκστῆναι τοῦ προκειμένου. ἐκείνη δὲ ἡ τοῦ ὕπνου ἔκστασις κατ᾽ ἄλλον τρόπον ἐῤῥέθη, κατὰ τὴν φυσικὴν ἐνέργειαν, μάλιστα διὰ τὸ βαθυτάτως αὐτὴν ἐπενηνέχθαι τῷ ἁγίῳ Ἀδὰμ καὶ ἐν χειρὶ θεοῦ πεπλασμένῳ. § 5: *Καὶ γὰρ ἀληθῶς ἔστιν ἰδεῖν ὡς δικαίως ἔκστασιν ταύτην ἡ θεία γραφὴ κέκληκεν. ἐν τῷ γὰρ ὑπνοῦν τὸν ἄνθρωπον μεθιστῶνται πᾶσαι αἱ αἰσθήσεις εἰς ἀνάπαυσιν τραπεῖσαι, ὡς οἷον εἰπεῖν, παροῦσα ἡ διορατικὴ οὐχ ὁρᾷ. ἀποκέκλεισται γὰρ τὸ ὄμμα καὶ ἡσυχάζει τὸ κινοῦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ πνεῦμα, εἴτ᾽ οὖν ψυχή · δυσοδμίας οὔσης ἐν οἴκῳ ἢ καὶ εὐοδμίας, καίτοι γε παρούσης τῆς ᾽οσφραντικῆς αἰσθήσεως, οὐκ ἀντιλαμβάνεται. ἐξέστη γὰρ ἡ τοιαύτη αἴσθησις εἰς ἀνάπαυσιν τραπεῖσα. πικρῶν ὄντων χυμῶν ἐν τῷ στόματι ἢ ἁλμυρῶν ἢ γλυκέων τὸ γευστικὸν οὐκ αἰσθάνεται, ἐπειδήπερ ἐν ἐκστάσει τῆς ἀναπαύσεως κεῖται μὴ ἐνεργοῦν, ὅπερ ἐν τῷ ὕπαρ ἐνεργεῖ. ἀκοὴ πάρεστιν, ἀλλ᾽ ἀργεῖ τὸ ἀκουστικὸν κατὰ*

gratuita sunt in somnis et delicta secura; non magis enim ob stupri visionem damnabimur quam ob martyrii coronabimur.

Et quomodo, inquis, memor est somniorum anima, scilicet quam compotem esse non licet?

Hoc erit proprietas amentiae huius, quia non fit ex corruptela bonae valetudinis, sed ex ratione naturae; nec enim exterminat, sed avocat mentem. Aliud est concutere, aliud movere, aliud evertere, aliud agitare.

Igitur quod memoria suppetit, sanitas mentis est, quod sanitas mentis salva memoria stupet, amentiae genus est. Ideo non dicimur furere, sed somniare; ideo et prudentes, si quando sumus. Sapere enim nostrum licet obumbretur, non tamen extinguitur; nisi quod et ipsum potest videri vacare tunc, ecstasin autem hoc quoque operari de suo proprio, ut sic nobis sapientiae imagines

τὴν αἴσθησιν. καὶ πολλάκις τινῶν λαλούντων ἐν οἴκῳ, εἰ μή τι διυπνισθῇ ὁ ἄνθρωπος, οὐκ ἐπακούει τῶν παρά τινων ῥηθέντων, διὰ τὸ ἀποστῆναι τὴν ἐνέργειαν πρὸς τὴν ὥραν. τινῶν κνωδάλων διερχομένων διὰ τοῦ ἡμετέρου σώματος οὐκ αἰσθανόμεθα τῆς αὐτῶν περὶ τὸ σῶμα ἡμῶν ἀφῆς, εἰ μή τι βαρέως ἡμῖν ἐπιθῶνται τὰ κνώδαλα, ὡς τοῦ παντὸς ὀργάνου διὰ τὴν ἀνάπαυσιν τοῦ ὕπνου ἐκστάντος ἀπὸ τῆς ἐνεργείας. τὸ μὲν γὰρ ὄργανον φύσεως ὂν γηίνης καὶ περιττὴν ψυχὴν ἔχον, διὰ τὸ οὕτως ἐκ θεοῦ τὸ χρήσιμον ἡμῖν γεγενῆσθαι, ἀποδίδοται αὐτῷ καιρὸς, μεθιστῶν αὐτὸ ἀπὸ τῆς ἐνεργεστάτης αἰσθήσεως εἰς μετάστασιν ἀναπαύσεως· αὐτὴ δὲ ἡ ψυχὴ οὐκ ἐξέστη τοῦ ἡγεμονικοῦ, οὐδὲ τοῦ φρονήματος. πολλάκις γὰρ φαντάζεται καὶ ὁρᾷ ἑαυτὴν, ὡς ἐν ἐγρηγορήσει, καὶ περιπατεῖ καὶ ἐργάζεται καὶ ποντοπορεῖ καὶ δημηγορεῖ, καὶ ἐν πλείοσι καὶ ἐν μείζοσι τούτων δι' ὀνειράτων ἑαυτὴν θεωμένη, οὐ μὴν κατὰ τὸν ἀφραίνοντα καὶ ἐν ἐκστάσει γινόμενον ἐκστατικὸν ἄνθρωπον, τὸν τῷ σώματι καὶ

inferat, quemadmodum et erroris.“

τῇ ψυχῇ ἐγρηγορότα, τὰ δεινὰ μεταχειριζόμενον, καὶ πολλάκις ἑαυτῷ δεινῶς χρώμενον καὶ τοῖς πέλας. ἀγνοεῖ γὰρ ἃ φθέγγεται καὶ πράττει, ἐπειδήπερ ἐν ἐκστάσει γέγονεν ἀφροσύνης ὁ τοιοῦτος.“

Quae disserentes in eo consentiunt, quod somnum corpori soli adscribunt. Item similiter describunt, quae animae sit condicio in somnio. Sed cum nostro loco negetur, hoc „amentiae instar“ esse, id Tertullianus asserit. Dicere quidem non vult, ecstasim somnii eandem esse atque ecstasim propheticam; neque enim dubium esse potest, quin ecstasis propheticae imagines et sonos et sermones spiritui sancto adscripserit,[1]) et ipse satis clare dicit res somnii aut per animam ipsam aut per ecstasim ipsam effici. Attamen contendit, somnium ecstasis speciem esse, quia homo sui non compos neque vera aut falsa distinguat neque se ipse dirigat. Ceterum nota, quam copiose uterque animae statum et motus in somniis describat! Atque postremo etiam hoc manifestum est, cum nostro loco affirmetur, amentiam semper corruptelam esse,[2]) Tertullianum ecstasim propheticam non cum furore sed cum somnio componentem eam condicionem bonae valetudinis declarare, atque id unum concedere, „sanitatem mentis in ecstasi salva memoria stupere“.

Sed nondum exhausta sunt, quae Tertullianus de ecstasi dixit. Confer etiam plenius, quod de illa ecstasi dis-

---

1) Adv. Marc. IV, 22 p. 215 sq.

2) Hoc apparet ex his eius verbis, quibus describit statum veri prophetae: *ἐρρωμένως* § 3 p. 429 l. 6 *ἐρρωμένην ἔχων τὴν διάνοιαν* § 3 p. 429 l. 24 § 6 p. 433 l. 6 § 10 p. 436 l. 33 *ἐρρωμένῃ καταστάσει* § 3 p. 429 l. 33 *οὐχ ὡς μὴ τὸν νοῦν ἐρρωμένος* § 7 p. 433 l. 24 *ἐν διανοίᾳ ἐρρωμένῃ* § 7 p. 434 l. 8. 13 § 8 p. 434 l. 22.

serit, quae discipulis in monte clarificationis acciderit! Adv. Marc. IV, 22 (p. 215): „Igitur et Petrus merito contubernium Christi sui agnocens individuitate eius suggerit consilium: Bonum est nos hic esse (bonum plane ubi Moyses scilicet et Helias), et, Faciamus hic tria tabernacula, unum tibi, et Moysi unum, et Heliae unum; sed nesciens quid diceret. Quomodo nesciens? Utrumne simplici errore, an ratione qua defendimus in causa novae prophetiae gratiae ecstasin, id est amentiam, convenire? In spiritu enim homo constitutus, praesertim cum gloriam dei conspicit, vel cum per ipsum deus loquitur, necesse est excidat sensu, obumbratus scilicet virtute divina, de quo inter nos et psychicos quaestio est. Interim facile est amentiam Petri probare. Quomodo enim Moysen et Heliam cognovisset, nisi in spiritu? (nec enim imagines eorum vel statuas populus habuisset et similitudines, lege prohibente) nisi quia in spiritu viderat? Et ita quod dixisset in spiritu, non in sensu, constitutus, scire non poterat."

Adv. Prax. 15 (O. II p. 673): „quamquam et illam (scil. accessibilem lucem filii) neque ipse (Paulus) sine periculo luminis expertus est, neque Petrus et Joannes et Jacobus sine (scil. periculo) rationis et amentia, qui si, non passuri filii gloriam, sed patrem vidissent, credo, morituri ibidem." Quibus ex locis saltem id elucet, quanta industria Cataphrygum sodales tempore Tertulliani id studuerint, ut ecstasim per scripturam probarent. Ceterum non taceo me suspicari, nostro loco ex ea causa sola apostolos ascensionem domini videntes memoratos esse (§ 8), ut status, in quo tunc fuissent, opponeretur illorum statui in monte clarificationis, ad quem provocabant Cataphryges. Nam narratio ascensionis (Act. 1) in se ipsa nihil praebet, quod declaret, cur commemorata sit.

Quibus omnibus perpensis opinor dici oportere aut tempore Epiphanii easdem quaestiones agitatas esse, quae

olim Tertulliani aetate ecclesiam movebant, aut Epiphanium ad Tertullianum Montanistam respexisse, ut eum refutaret, aut eum fontem usurpasse tempori Tertulliani aequalem. Quis vero est, qui primam et secundam opinionem probare velit? Ergo restat postrema neque cunctor id saltem iam hic asserere, fontem illum eiusdem temporis fuisse ac Tertullianum. Hoc enim etiam eo affirmatur, quod Tertullianus in aliis rebus hic illic manifesto ad ea respicere videtur, quae nostro loco contra Montanistas proferuntur. Velut testatur, iactari a suis adversariis illud Pauli Rom. 15, 1 (cf. Rom. 14, 1; 1 Thess. 5, 14), ad quod etiam nostro loco provocatur.

De fuga 9 (ed. Oehler tom. 1 p. 477): „*Infirmos sustinere iubet Paulus*, utique enim non fugientes. Quomodo enim sustineantur absentes? An patientia? Dicit sustinendos, sicubi per infirmitatem fidei suae offenderint, sicut pusillanimes consolari, non tamen in fugam mitti. cf. De mon. 14. 15. 16. De iei. 15.

§ 9 p. 436: ὁ γὰρ ἅγιος λόγος παντὶ ἐκήρυξε τὴν ἀσθένειαν τῶν ἀσθενούντων βαστάζειν. . . .

Tum testatur, illos niti in Tim. I, 5, 11. 12. 14, quocum testimonio conferas item nostri loci § 9:

De mon. 13 (Oehl. I p. 783). Sed et Timotheo scribens vult *iuvenculas nubere, filios suscipere, matres familiae agere.* Ad eas dirigit quales supra denotat, iuvenculas viduas, quae in

§ 9 p. 436: ὡς καὶ ὁ ἅγιος ἀπόστολος εὐθὺς εὑρεθήσεται λέγων καὶ ἐλέγχων τοὺς τοιούτους μὴ ὄντας τοῦ αὐτοῦ χαρίσματος ὅτι „νεωτέρας χήρας παραιτοῦ· μετὰ γὰρ τὸ καταστρηνιάσαι τοῦ

viduitate deprehensae et aliquamdiu adsectatae, postquam in deliciis habuerunt Christum, nubere volunt, habentes iudicium, quod primam fidem resciderunt, illam videlicet, a qua in viduitate inventae et professae eam non perseverant. Propter quod vult eas nubere, ne primam fidem susceptae viduitatis postea rescindant, non ut totiens nubant, quotiens in viduitate temptata, immo et in deliciis habita, noluerint perseverare.

Χριστοῦ γαμεῖν θέλουσιν, ἔχουσαι τὸ κρίμα, ὅτι τὴν πρώτην πίστιν ἠθέτησαν". αἱ γὰρ ἐπαγγειλάμεναι καὶ ἀθετήσασαι ἔχουσι κρίμα, αἱ δὲ μὴ ἐπαγγειλάμεναι, ἀλλὰ συναφθεῖσαι δι᾽ ἀσθένειαν, κρίμα οὐχ ἕξουσιν. εἰ δὲ κρίμα ἔμελλον ἔχειν, πῶς ἔλεγε „γαμείτωσαν, οἰκοδεσποτείτωσαν;"

Deinde memorat ex sententia illorum cadere in Cataphryges illud Tim. I, 4, 1—3 et ab illis Cataphryges aut inter haereses referri humana praesumptione ortas aut notari a spiritu pseudoprophetico, id est a spiritu diaboli, deceptos, quod testimonium iterum bene convenit cum nostro loco.

De mon. 15 (p. 785): Quae haeresis, si secundas nuptias, ut illicitas, iuxta adulterium iudicamus? Quid est enim adulterium quam matrimonium illicitum? Notat apostolus eos, qui in totum nubere prohibebant, qui et de cibis interdicebant quos deus condidit.

§ 8 p. 435: *Παῦλος δὲ ὁ ἁγιώτατος ἀπόστολος προφητεύων ἔλεγε „τὸ δὲ πνεῦμα ῥητῶς λέγει, ἐν ἐσχάταις ἡμέραις ἐνστήσονται καιροὶ χαλεποί" καὶ τὰ ἑξῆς. καὶ πάλιν ἄλλοτε ὅτι „ἀποστήσονταί τινες τῆς ὑγιαινούσης διδασκαλίας, προσέχοντες πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμόνων,*

Nos vero non magis nuptias auferimus, si secundas recusamus, quam cibos reprobamus, si saepius ieiunamus.

De iei 2 (O. I p. 854): .... detestatore eorum qui sicut nubere prohibeant, ita iubeant cibis abstinere a deo conditis. Et ideo nos esse iam tunc praenotatos in novissimis temporibus abscedentes a fide, intendentes spiritibus mundi seductoribus, doctrinis mendaciloquorum inustam habentes conscientiam. Quibus, oro te, ignibus? Credo, quibus nuptias saepe deducimus et coenas quotidie coquimus?

De iei. 15 (p. 874): Reprobat etiam illos qui iubeant cibis abstinere, sed de providentia spiritus sancti, praedamnans iam haereticos perpetuam abstinentiam praecepturos ad destruenda et despicienda opera creatoris, quales inveniam apud Marcionem, apud Tatianum, apud Jovem, hodiernum de Pythagora haereticum, non apud paracletum.

κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων, ἃ ὁ θεὸς ἔκτισεν εἰς μετάληψιν τοῖς μετ' εὐχαριστίας“· ὡς σαφῶς ἐφ' ὑμῖν καὶ τοῖς ὁμοίοις ὑμῖν πεπλήρωται ἐξ αὐτῶν τῶν προκειμένων. αἱ γὰρ πλείους τῶν αἱρέσεων τούτων τὸ γαμεῖν κωλύουσιν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων παραγγέλλουσιν, οὐχ ἕνεκεν πολιτείας προτρεπόμενοι, οὐχ ἕνεκεν ἀρετῆς μείζονος καὶ βραβείων καί στεφάνων, ἀλλὰ βδελυκτὰ ταῦτα ὑπὸ Χριστοῦ γεγενημένα ἡγούμενοι cf. § 9 (1).

Quantula est enim apud nos interdictio ciborum? Duas in anno hebdomadas xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet sabbatis et dominicis, offerimus deo, abstinentes ab eis quae non reicimus, sed differimus.

De virg. vel. 1 (O. I p. 883): Viderint ergo quibus novum est, quod sibi vetus est.

Haereses non tam novitas quam veritas revincit. Quodcunque adversus veritatem sapit, hoc erit haeresis, etiam vetus consuetudo.

De mon. 2 (p. 762): Itaque monogamiae disciplinam in haeresim exprobrant etc.

De iei. 1 (p. 852): Novitatem igitur obiectant, de cuius inlicito praescribant aut haeresin iudicandam si humana praesumptio est, aut pseudoprophetiam pronuntiandam si spiritalis indictio est, dumquaque ex parte anathema audiamus qui aliter adnuntiamus.

De iei. 11 (p. 868 sq.): Itaque et hinc in alia specie

§ 9 p. 435: καὶ πάλιν ἐρᾷ ὅτι ἀσφαλιζόμενος ἡμᾶς καὶ τὸν χαρακτῆρα τῆς ἁγίας ἐκκλησίας διαιρῶν ἀπὸ τῆς τῶν αἱρέσεων πλάνης ἔφη ὡς τολμηρῶς τὰ ἐκ θεοῦ καλῶς τεταγμένα ἀπαγορεύοντες νομοθετοῦσι, φήσας περὶ τῶν κωλυόντων γαμεῖν καὶ ἀπέχεσθαι βρωμάτων.

§ 2 (p. 427): ἢ οἱ περὶ Μαξίμιλλαν ψευδοπροφῆται εὑρεθήσονται, μετὰ τὸν ὅρον τῶν προφητικῶν χαρισμάτων, τολμήσαντες οὐκ ἀπὸ ἁγίου πνεύματος, ἀλλ᾽ ἀπὸ πλάνης δαιμονίων ἐνθουσιασθῆναι καὶ φαντασιάσαι τοὺς ἀκούοντας αὐτῶν.

§ 3 (p. 428): πῶς δὲ οὐχὶ μᾶλλον οὗτοί εἰσιν περὶ ὧν εἶπεν ὁ κύριος ὅτι „προσέχετε ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι

altercatio diversae partis obducitur, cum dicunt, Aut pseudoprophetia est, si spiritalis vox sollemnia ista constituit, aut haeresis, si humana praesumptio adinvenit...... Spiritus diaboli est, dicis, o psychice. Et quomodo dei nostri officia indicit nec alii offerenda quam deo nostro? Aut contende diabolum cum deo facere nostro, aut satanas paracletus habeatur. Sed hominem antichristum adfirmas; hoc enim vocantur haeretici nomine penes Joannem etc.

προβάτων, ἔσω δέ εἰσι λύκοι ἅρπαγες.“

§ 10 (p. 437): *εἰ μὴ ἄρα ὅμοιος* (scil. *Μοντανός*) *εἴη ἐκείνῳ τῷ ἐπαγγειλαμένῳ τοῖς περὶ τὸν Ἀδὰμ ὅτι ἔσεσθε ὡς θεοὶ φήσαντι, καὶ ἀπὸ τῆς ὑπαρχούσης αὐτοῖς δόξης, καὶ παραδείσου τρυφῆς παρασκευάσαντι αὐτοῖς τὴν ἐκβολὴν γενέσθαι καὶ εἰς φθορὰν θανάτου κατενεχθῆναι.*

§ 11 (p. 438): *νουθετοῦσα ἡμᾶς, ἵνα γινώσκωμεν ποῖά ἐστι τά μιμηλὰ τοῦ ἀλλοτρίου πνεύματος καὶ τὰ ἀντίθετα πρὸς τὴν ἀλήθειαν.*

Denique Cataphrygibus vitio dari dicit, quod leges imponant, neque hoc opprobrium nostro loco deest.

De iei. 2 (p. 853 sq.): Itaque de cetero indifferenter ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio, novae disciplinae pro temporibus et causis uniuscuiusque; sic et apostolos observasse, nullum aliud imponentes iugum certorum et in commune omnibus obeundorum ieiuniorum, proinde nec stationum, quae et ipsae suos quidem dies habeant quartae feriae et sextae, passive

§ 9 (p. 435): *ὡς τολμηρῶς τὰ ἐκ θεοῦ καλῶς τεταγμένα ἀπαγορεύοντες νομοθετοῦσι, φήσας περὶ τῶν κωλυόντων γαμεῖν καὶ ἀπέχεσθαι βρωμάτων.*

§ 9 (p. 436): *ἡμεῖς δὲ οὐκ ἀνάγκην ἐπιτιθέαμεν, ἀλλὰ παραινοῦμεν μετὰ συμβουλίας ἀγαθῆς προτρεπόμενοι τὸν δυνάμενον, οὐκ ἀνάγκην δὲ ἐπιτιθέαμεν τῷ μὴ δυναμένῳ, ἀλλὰ οὐκ ἐκβάλλομεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς ζωῆς.*

tamen currant, neque sub lege praecepti neque ultra supremam diei, quando et orationes fere hora nona concludat, de Petri exemplo, quod Actis refertur. c. 13 (p. 872): Denique respondetis haec ex arbitrio agenda, non ex imperio. Cf. Apollonium apud Eus. h. e. V. 18, 2: *Οὗτός ἐστιν ὁ διδάξας λύσεις γάμων, ὁ νηστείας νομοθετήσας κτλ.*

Confer etiam § 9 nostri loci cum Tertulliani c. 1 de pudicitia!

De pud. 1 (O. I p. 794): Nobis autem maxima aut summa sic quoque praecaventur, dum nec secundas quidem post fidem nuptias permittitur nosse, nuptialibus et dotalibus, si forte, tabulis a moechiae et fornicationis opere diversas, et ideo durissime nos infamantes paracletum disciplinae enormitate digamos foris sistimus.

§ 9 (p. 436): *οὗτοι δὲ κωλύουσι κατὰ τὸ εἰρημένον „κωλυόντων γαμεῖν.“ ἐκβάλλουσι γὰρ τὸν δευτέρῳ γάμῳ συναφθέντα καὶ ἀναγκάζουσι μὴ δευτέρῳ γάμῳ συνάπτεσθαι.*

Tot rationes intercedunt inter Tertullianum et nostrum locum. Quibus neglectis, si quis negare velit, utrumque ad idem tempus esse referendum, vix unquam in talibus rebus quidquam explorare poterit.

Hactenus de Tertulliano! Sed etiam alia indicia antiquitatis nostro loco exstant, quae omnia fere idem probant.

Minoris quidem duco, quod auctor etiam ipsos Cataphryges alloquitur,[1]) quamvis id cum prioribus temporibus controversiae melius conveniat. Maioris iam ponderis est, quod ex his verbis: „*ὅσα γὰρ οἱ προφῆται εἰρήκασι καὶ μετὰ συνέσεως παρακολουθοῦντες ἐφθέγγοντο ἐτελέσθη τὰ παρ᾽ αὐτῶν εἰρημένα καὶ ἔτι πληροῦται. αὕτη δὲ εἶπε μετ᾽ αὐτὴν εἶναι συντέλειαν, καὶ οὔπω συνετελέσθη, μάλιστα τοσούτων βασιλέων γενομένων καὶ τοσούτου χρόνου ὑπερβεβηκότος .... καὶ οὔπω ἡ συντέλεια κατὰ τὴν ἠχήσασαν ἑαυτὴν προφήτιδα, μὴ γνοῦσαν μηδὲ τὴν ἡμέραν τῆς αὐτῆς τελευτῆς*“ (§ 2 p. 427 sq), ut censeo, efficitur. Nam si recte video, hic locus hunc sensum habet. „Maximilla finem mundi non novit; nam si novisset, finem iam evenire oportuit. Maximilla autem etiam suum finem non novit; nam si novisset, ipsa viveret, quia putabat, finem mundi aut ipsa viva aut statim post ipsius mortem fore.“ Illud prius dicere etiam Epiphanio in mentem venire potuit. Hoc vero posterius mea opinione ad fontem nos ducit, quem scriptum esse oportet tempore, quo Maximilla, quamquam diutius erat mortua, tamen vivere saltem potuit, et cuius scriptor ipse finem propinquum esse putabat. Nam quis est, quin illico stupeat non modo legens *οὔπω ἡ συντέλεια κατὰ τὴν ἠχήσασαν ἑαυτὴν προφήτιδα*“ sed etiam „*μὴ γνοῦσαν μηδὲ τὴν ἡμέραν τῆς αὐτῆς τελευτῆς*“, quod Epiphanii aetate addere, postquam illud prius dictum est, plane supervacaneum erat.

Notandum deinde est, quod noster locus (§ 9) testatur, ecclesiae sacerdotes omnes monogamos fuisse.[2]) Si

---

1) § 8: *ὡς σαφῶς ἐφ᾽ ὑμῖν καὶ τοῖς ὁμοίοις ὑμῖν πεπλήρωται ἐξ αὐτῶν τῶν προκειμένων.* (§ 12: *Πῶς τοίνυν, ὦ Φρῦγες κτλ?*)

2) § 9 (436): *τὴν δὲ μονογαμίαν τιμᾷ, εἴ καὶ μάλιστα τὰ χαρίσματα τῆς ἱερωσύνης διὰ τῶν ἀπὸ μονογαμίας ἐγκρατευομένων καὶ τῶν ἐν παρθενίᾳ διατελούντων κοσμήσας προδιετύπου, ὡς καὶ οἱ αὐτοῦ ἀπόστολοι τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα τῆς ἱερωσύνης εὐτάκτως καὶ ὁσίως διετάξαντο. εἰ δέ*

enim omnino ille ad prius tempus est referendus, quia scimus, iam ineunte tertio saeculo illum morem ecclesiae saepe neglectum esse ac quidem inprimis a Callisto,[1]) etiam ex hoc verisimile fit, nostrum locum ex fonte pendere, qui non post initium tertii saeculi sit compositus.

Accedit, quod occasione data noster locus nihil antiquius habet quam ut carnis resurrectionem doceat (§ 10 p. 437). Nonne etiam hoc illa tempora indicat, quibus hoc dogma cum contra gnosticos omnes tum contra Marcionem tanto studio defendebatur?

Plurimum autem valet, quod noster locus nobis testatur, post Maximillam alium prophetam seu prophetissam non surrexisse (§ 2). Sed hac re iam eo ducimur, ut de chronologia Montanismi nonnulla verba faciamus.

Viri docti nondum desierunt dubitare,[2]) utrum Epi-

τις κατὰ ἀσθένειαν ἐπιδεηθείη μετὰ τὴν τελευτὴν τῆς ἰδιάς γαμετῆς συναφθῆναι δευτέρῳ γάμῳ, οὐκ ἀπαγορεύει τοῦτο ὁ κανὼν τῆς ἀληθείας, τουτέστιν τὸν μὴ ὄντα ἱερέα.

1) Cum Tertullianus in libro suo de exhortatione castitatis circiter a. 201 conscripto haec scribat: „Inde igitur apud nos plenius atque instructius praescribitur unius matrimonii esse oportere qui alleguntur in ordinem sacerdotalem. Usque adeo quosdam memini digamos loco deiectos“ (c. 7 Oehl. I p. 747), postea in libro de monogamia montanistico circa a. 218 dicit „Prospiciebat spiritus sanctus dicturos quosdam, Omnia licent episcopis, sicut ille vester Utinensis nec Scantiniam timuit. Quot enim et digami praesident apud vos, insultantes utique apostolo, certe non erubescentes, cum haec sub illis leguntur?“ (c. 12 p. 782), quocum conferas Phil. IX, 12 (ed. Duncker-Schneidewin p. 458): *Οὗτος* (scil. Callistus) *ἐδογμάτισεν ὅπως εἰ ἐπίσκοπος ἁμάρτοι τι, εἰ καὶ πρὸς θάνατον, μὴ δεῖν κατατίθεσθαι. Ἐπὶ τούτου ἤρξαντο ἐπίσκοποι καὶ πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι δίγαμοι καὶ τρίγαμοι καθίστασθαι εἰς κλήρους· εἰ δὲ καί τις ἐν κλήρῳ ὢν γαμοίη, μένειν τὸν τοιοῦτον ἐν τῷ κλήρῳ ὡς μὴ ἡμαρτηκότα κτλ.*

2) Bonwetschio, qui chronologiam Epiphanii probavit (l. c. p. 140 sqq.), assensi sunt Moeller (Herzog, Real-Encyklopädie ed. II tom X p. 255) et Weizsaecker (Theol. Literaturztg. 1882 No. 4) atque primo etiam Voelter (Lit. Centralblatt 1882 No. 24). Deinde hic Eusebii chronologiam optime defendit (Ztschrft. für wissenschfl. Theol. 1884

phanius recte tradiderit, Montanismum anno 156 esse ortum,[1]) an testimonium Chronici Eusebiani sit praeferendum, quo statuitur, Montanistas anno 172 surrexisse.[2]) Equidem etiamsi me monstrare posse non crederem, qua ratione verisimiliter Epiphanii relatio esset orta, tamen nunquam haesitarem, me Eusebio addicere, quamvis pro die spondere nolim. Nam et mihi quae ad Epiphanii chronologiam probandam prolata sunt, non multum valere videntur, et mihi

---

I p. 23—36) assentiente Hilgenfeldo (l. c. p. 577). Nihilo tamen minus Theodorus Zahn Bouwetschii opinionem retinuit (Gesch. des neut. Kanons I, 1 p. 4).

1) § 1: *Ἀπὸ τούτων ἑτέρα πάλιν αἵρεσις ἀνακύπτει τῶν Φρυγῶν καλουμένη σύγχρονος γενομένη τούτοις καὶ αὐτοὺς διαδεχομένη. αὐτοὶ γὰρ γεγόνασι περὶ τὸ ἐννεακαιδέκατον ἔτος Ἀντωνίνου τοῦ εὐσεβοῦς τοῦ μετὰ Ἀδριανόν.*

2) Eusebius in Chronico (secundum versionem Armeniam) annotavit ad 238 Olympiadis annum 1, ad Abrahami annum 2188, ad Marci Antonini (Aurelii) annum 12: „Phrygum pseudoprophetia orta est" (Sync. 666, 6: *Κατὰ Φρύγας συνέστη ψευδοπροφητία*) Cf. ed. Schoene vol. II p. 172 sq. Olympiadis 238 annus primus vero est = a. 173; annus Abrahami 2188 = a. 174 (cf. A. de Gutschmidt: Untersuchungen über die syrische Epitome der Eusebischen Kanones, Stuttgart 1886 p. 38); Marci Antonini (Aurelii) annus 12 = a. 172 p. Ch.

Ergo quaerendum est, unde Eusebius profectus sit, neque dubium esse potest, quin Marci Antonini annum 12 aliquo modo exploraverit et deinde in computatione Olympiadis et Abrahami annorum cum hoc anno convenientium erraverit. Nam in Olympiadum computatione Eusebius omnino terminum rectum paene duobus annis praecurrebat (cf. Ideler: Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie Berlin 1883 II p. 465 sq.). Ceterum quod Hieronymi plurimi codices Cataphrygum primordia ad Abrahami annum 2187 Marci Antonini XI referunt, vix opus sit expresse dicere, versionem Armeniam Hieronymo esse praeferendam. In hac re vero etiam Hieronymi codex Amandinus cum versione Armenia convenit, item initia Cataphrygiae pseudoprophetiae ad Marc. Ant. XII referens. —

Hoc nullius momenti esse inter omnes constat, quod in Chronico paschali (vol. 1 p. 490 sq. e rec. L. Dindorf. Bonnae 1832) pseudoprophetiae Montani ortus ad annum, quo Mamertinus et Rufus tertium consules erant, id est ad a. 182 refertur. Nam ex litteris Lugdunensium satis cognoscitur, Montanismum iam antea etiam occidentem movisse (cf. Bonwetsch l. c. p. 141). —

maximi ponderis esse videtur, quod omnes relationes Eusebianae historiae ecclesiasticae una eademque temporum ratione nituntur, scilicet ea quam nobis Chronicon dat. Ut Eusebius (h. e. V, 3, 4) refert, Montanum et Alcibiadem et Theodotum in Phrygia tum primum suam opinionem de prophetia inter plures divulgasse, cum in Gallia illa persecutio crudelissima in Christianos saeviebat, in qua Attalus et Alcibiades passi sunt (a. 177).[1]) Si vero Weizsaecker

---

Deinde etiam illum Epiphanii obscurum locum haer. 51, 33 non aptum esse, quo nitamur, iam inde facile intelligitur, quod viri docti varie et diverse eum interpretati sunt. Voelter vero et Weizsaecker (l. c.) monstraverunt, Bonwetschium (l. c. p. 145) errasse, cum illos 93 annos in id spatium, quod interest inter apostolicae aetatis finem et Montanismi primordia, referendos esse censeret. Quare uterque etiam Petavii et Lipsii (Die Quellen etc. p. 109 sqq.) emendationem *γέννησιν* recusans *ἀνάληψιν* retinet. Ceterum Voelter, quia apostolicum tempus usque ad annum 126 durasse probare non potest, pro *ἐνενήκοντα* ponit *ἑβδομήκοντα*, monens, anno 106 Simonem Clopae esse mortuum (Eus h. e. III, 32). Quo fit, ut, cum 106 annis ad 112 additis fiant 218, censeat, fontem Epiphanii anno 218 esse scriptum.

Postremo etiam Epiph. 48, 2: „*ἔτη γάρ ἐστιν ἔκτοτε πλείω ἐλάσσω διακόσια ἐνενήκοντα ἕως τοῦ ἡμετέρου χρόνου, δωδεκάτου ἔτους Οὐαλεντινιανοῦ καὶ Οὐάλεντος καὶ Γρατιανοῦ βασιλείας*“ pro nihilo habendum est. Nam hoc etiam cum Epiphanii ipsius temporum computo pugnat. Quodsi hic locus emendatione eget, non convenit plura inde concludere. Qua de causa Bonwetsch (l. c. p. 145) Weizsaeckero assentiente (l. c.) hunc locum iure neglexit. Nota ceterum, si ponimus 190 pro 290, Maximillam a. 185 esse mortuam effici, qui annus paene cum illo a nobis explorato 179/180 convenit.

1) Eus. h. e. V, 3, 4: *Τῶν δ' ἀμφὶ τὸν Μοντανὸν καὶ Ἀλκιβιάδην καὶ Θεόδοτον περὶ τὴν Φρυγίαν ἄρτι τότε πρῶτον τὴν περὶ τοῦ προφητεύειν ὑπόληψιν παρὰ πολλοῖς ἐκφερομένων, (πλεῖσται γὰρ οὖν καὶ ἄλλαι παραδοξοποιΐαι τοῦ θείου χαρίσματος εἰσέτι τότε κατὰ διαφόρους ἐκκλησίας ἐκτελούμεναι πίστιν παρὰ πολλοῖς τοῦ κἀκείνους προφητεύειν παρεῖχον), καὶ δὴ διαφωνίας ὑπαρχούσης περὶ τῶν δεδηλωμένων, αὖθις οἱ κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφοὶ τὴν ἰδίαν κρίσιν καὶ περὶ τούτων εὐλαβῆ καὶ ὀρθοδοξοτάτην ὑποτάττουσιν, ἐκθέμενοι καὶ τῶν παρ' αὐτοῖς τελειωθέντων μαρτύρων διαφόρους ἐπιστολάς, ἃς ἐν δεσμοῖς ἔτι ὑπάρχοντες τοῖς ἐπ' Ἀσίας καὶ Φρυγίας ἀδελφοῖς διεχάραξαν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ἐλευθέρῳ τῷ τότε Ῥωμαίων ἐπισκόπῳ τῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης ἕνεκεν πρεσβεύοντες.*

(l. c.) *τότε πρῶτον* cum *παρὰ πολλοῖς* coniungens posteriorem aetatem Montanismi, qua secta consilium caperet doctrinam suam latius propagandi, hic .indicatam esse volebat, iam Voelter hanc sententiam bene refellit (l. c. p. 24 sq).

Neque etiamsi non negandum est, inter exigua primordia Montanismi et inter maiorem propagationem esse discernendum, pluribus verbis inter *τότε πρῶτον* et inter *παρὰ πολλοῖς* intercedentibus probabile est, hic ad illud discrimen respici. Neque ulla esset causa, qua colligeretur, illam priorem Montanismi aetatem viginti annos complecti.[1])

Porro Eusebius memorat (h. e. IV, 27), Apolinarium opus suum contra Phrygum haeresim post illa alia opera composuisse, quae dicit (scil. Eusebius) sibi esse nota, et,

---

1) Quod attinet ad Weizsaeckeri opinionem peculiarem, Montanistas ipsos primo minora conatos esse quam postea per persecutiones animatos, iam Voelter (l. c.) rectissime monuit, hoc Eus. h. e. IV, 27 nullo modo indicari. Confer Eus. h. e. IV, 27: *Τοῦ δὲ Ἀπολιναρίου πολλῶν παρὰ πολλοῖς σωζομένων τὰ εἰς ἡμᾶς ἐλθόντα ἐστὶ τάδε · λόγος ὁ πρὸς τὸν προειρημένον βασιλέα, καὶ πρὸς Ἕλληνας συγγράμματα πέντε, καὶ περὶ ἀληθείας πρῶτον καὶ δεύτερον, καὶ ἃ μετὰ ταῦτα συνέγραψε κατὰ τῆς τῶν Φρυγῶν αἱρέσεως, μετ᾽ οὐ πολὺν καινοτομηθείσης χρόνον, τότε γε μὴν ὥσπερ ἐκφύειν ἀρχομένης, ἔτι τοῦ Μοντανοῦ ἅμα ταῖς αὐτοῦ ψευδοπροφήτισιν ἀρχὰς τῆς παρεκτροπῆς ποιουμένου.* — Ceterum etiam Voelter hunc locum cum persecutione sub Marco Aurelio facta conferre videtur opinans numerum Cataphrygum per persecutionem esse auctum (l. c. p. 26. 36). Quod mihi ansam dat dicendi haec. Primum licet pro certo habendum sit, persecutionis aestus multos ad partes Montanistarum traduxisse, non obliviscendum est, persecutione flagrante de Montanistica controversia iam Romae et in Gallia actum esse. Unde elucet si minus Romae et in Gallia multos Montanistas fuisse, quod ego addubito, attamen in Asia Montanismum iam antea non parvas progressiones fecisse. Deinde ne illud quidem silentio praetereundum est, quod de progressionibus, quas Montanismus post a. 177 fecit, multo plus scimus, quam de illa, quam iure a. 177 factam esse suspicamur. Atque admoneo illorum, quae Tertulliani temporibus fiebant. Cur Eusebium haec respexisse non opinemur, praesertim cum, ut intelligemus, Apolinarium vix multo ante a. 177 scripsisse contra Phryges manifestum sit?

cum Apolinarius contra Phryges scriberet, haeresim eorum progerminare coepisse: quo loco Eusebius iterum testatur, Cataphryges circiter a. 172 ortos esse.[1]) Nam etiamsi Eusebius h. e. V, 5, 4 non dicit, Apolinarium in apologia sua legionis fulminatricis mentionem fecisse, quod est Weizsaeckero concedendum, tamen dubium esse non potest, quin Apolinarius nomen legionis fulminatricis ad illud miraculum, quo Marcus Aurelius a Marcomannis defendebatur, alicubi in illis libris retulerit, qui Eusebio praesto erant. Ergo si hic tradit, hos omnes ante illud opus contra Phryges esse compositos, semper constat, hoc post a. 174 esse scriptum, quo anno dicunt pluvias legionibus auxilium tulisse. Neque haesito coniicere, Eusebium ex hoc Apolinarii volumine contra Phrygum haeresim clarius vidisse, quo fere tempore Montanus surrexisset. Adde quod ex anonymi testimonio (Eus. h. e. V, 16, 7) Eusebius etiam proconsulem novit, qui Montano vaticinari incipiente Asiae praefuit, de quo nos nihil scire valde querendum est.[2])

Non multum autem valent, quae Bonwetsch (l. c. p. 140 sqq) contra Eusebii chronologiam protulit, inprimis illud, quod censet, Montanismum, cum a. 177 ecclesiam ad iudicium decretorium propelleret, iam longius progressionis

---

1) Eus. h. e. IV, 27 v. supra!

2) Eus. V, 16, 7: *ἔνθα φασί τινα τῶν νεοπίστων πρώτως, Μοντανὸν τοὔνομα, κατὰ Γράτον Ἀσίας ἀνθύπατον, ἐν ἐπιθυμίᾳ ψυχῆς ἀμέτρῳ φιλοπρωτείας δόντα πάροδον εἰς ἑαυτὸν τῷ ἀντικειμένῳ πνευματοφορηθῆναί τε καὶ τ. λ.* Tum, cum Bonwetschii chronologiae assentiebatur, Voelter (Lit. Centralblatt 1882 No. 24) suspicatus est, *Γράτον* per errorem librariorum ex *Κοδράτον* ortum esse et proconsulem L. Statium Quadratum esse intelligendum, qui aut a. 154—155 aut a. 155—156 Asiae praefuit (cf. Lipsii „Der Märtyrertod Polycarps“ in Z. f. wissensch. Theol. 1874 p. 188 sqq.). Postea autem cum Eusebio se addiceret, iure ab hac coniectura destitit; nam si verum esset, Eusebium pro *Γράτον* apud anonymum *Κοδράτον* legentem ipsum hoc nomen tradidisse, chronologiae suae ipse contradixisset, quia ut diximus Quadratus a. 154—155 aut a. 155—156 proconsul in Asia fuit.

tempus percurrisse putandum esse. Interpretemur tandem recte illum fratrum et martyrum gallicorum conatum, de quo nos Eusebius certiores fecit (Eus h. e. V, 3. 4). Mihi enim plane falsum videtur, quod Bonwetsch similiter, atque alii antea, censuit, nempe ad ecclesiam Asiaticam Montanistis reconciliandam et ad episcopum Romanum, ut intercederet, movendum illas litteras a Gallis datas esse.[1]) Nullo enim verbo hoc dicitur, sed monstrari potest, et illas litteras Gallorum et episcopum Romanum contra Cataphryges fecisse. Ut primum illud probem, in Gallicorum fratrum de martyriis in Gallia consummatis epistola expressis verbis martyres laudantur, quia pio scrupulo moti se ante mortem martyres appellari noluerint,[2]) cum constet, Cataphryges et magna

---

1) Tertulliani librum adversus Praxeam conferens Bonwetsch existimat, has litteras episcopum Romanum movisse, ut pacem ecclesiis Asiae et Phrygiae inferret. Sed quod Tertullianus narravit, multo post factum est. Hoc probare longum est. Quare satis habeo id dicere, vix cuiquam, qui Tertulliani scripta et vitam noverit, credibile esse posse, Praxeam iam multo antequam Tertullianus ad fidem Christi converteretur Romae valuisse. — Adv. Prax. 1 (Oehl. II p. 654): „Nam idem tunc episcopum Romanum, agnoscentem iam prophetias Montani, Priscae, Maximillae, et ex ea agnitione pacem ecclesiis Asiae et Phrygiae inferentem, falsa de ipsis prophetis et ecclesiis eorum adseverando et praecessorum eius auctoritates defendendo coegit et litteras pacis revocare iam emissas et a proposito recipiendorum charismatum concessare.“ —

2) Eus. h. e. V, 2, 2—4: *Οἳ καὶ ἐπὶ τοσοῦτον ζηλωταὶ καὶ μιμηταὶ Χριστοῦ ἐγένοντο, ὃς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, ὥστε ἐν τοιαύτῃ δόξῃ ὑπάρχοντες, καὶ οὐχ ἅπαξ οὐδὲ δὶς, ἀλλὰ πολλάκις μαρτυρήσαντες, καὶ ἐκ θηρίων αὖθις ἀναληφθέντες, καὶ τά καυτήρια καὶ τοὺς μώλωπας καὶ τὰ τραύματα ἔχοντες περικείμενα, οὔτ᾽ αὐτοὶ μάρτυρας ἑαυτοὺς ἀνεκήρυττον, οὔτε μὴν ἡμῖν ἐπέτρεπον τούτῳ τῷ ὀνόματι προσαγορεύειν αὐτοὺς, ἀλλ᾽ εἴ ποτέ τις ἡμῶν δι᾽ ἐπιστολῆς ἢ διὰ λόγου μάρτυρας αὐτοὺς προσεῖπεν, ἐπέπληττον πικρῶς. Ἡδέως γὰρ παρεχώρουν τὴν τῆς μαρτυρίας προσηγορίαν τῷ Χριστῷ, τῷ πιστῷ καὶ ἀληθινῷ μάρτυρι καὶ πρωτοτόκῳ τῶν νεκρῶν καὶ ἀρχηγῷ τῆς ζωῆς τοῦ θεοῦ καὶ ἐπεμιμνήσκοντο τῶν ἐξεληλυθότων ἤδη μαρτύρων καὶ ἔλεγον· Ἐκεῖνοι ἤδη μάρτυρες, οὓς ἐν τῇ ὁμολογίᾳ Χριστὸς ἠξίωσεν ἀναληφθῆναι, ἐπισφρα-*

securitate ad martyrium se contulisse[1]) et martyria suorum iactasse.[2]) Porro eodem loco expresse memoratur, martyres se ipsos humiliantes neminem accusasse sed omnes lapsos paenitentia acta absolvisse,[3]) cum nobis notum sit, Cata-

γισάμενος αὐτῶν διὰ τῆς ἐξόδου τὴν μαρτυρίαν, ἡμεῖς δὲ ὁμόλογοι μέτριοι καὶ ταπεινοί. Καὶ μετὰ δακρύων παρεκάλουν τοὺς ἀδελφοὺς, δεόμενοι ἵνα ἐκτενεῖς γίνωται πρὸς τὸ τελειωθῆναι αὐτούς. Καὶ τὴν μὲν δύναμιν τῆς μαρτυρίας ἔργῳ ἐπεδείκνυντο, πολλὴν παῤῥησίαν ἄγοντες πρὸς πάντα τὰ ἔθνη, καὶ τὴν εὐγένειαν διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ ἀφοβίας καὶ ἀτρομίας φανερὰν ἐποίουν, τὴν δὲ πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς τῶν μαρτύρων προσηγορίαν παρῃτοῦντο, ἐμπεπλησμένοι φόβου θεοῦ.“

1) Cf. Tert. de fuga in persecutione; de corona.

2) Anonym. apud. Eus. h. e. V, 16, 20: „Ὅταν τοίνυν ἐν πᾶσι τοῖς εἰρημένοις ἐλεγχθέντες ἀπορήσωσιν, ἐπὶ τοὺς μαρτύρας πειρῶνται καταφεύγειν, λέγοντες πολλοὺς ἔχειν μάρτυρας, καὶ τοῦτο εἶναι τεκμήριον πιστὸν τῆς δυνάμεως τοῦ παῤ αὐτοῖς λεγομένου προφητικοῦ πνεύματος. Τὸ δέ ἐστιν ἄρα ὡς ἔοικε παντὸς μᾶλλον οὐκ ἀληθές. Καὶ γὰρ τῶν ἄλλων αἱρέσεών τινες πλείστους ὅσους ἔχουσι μάρτυρας, καὶ οὐ παρὰ τοῦτο δήπου συγκαταθησόμεθα, οὐδὲ ἀλήθειαν ἔχειν αὐτοὺς ὁμολογήσομεν. Καὶ πρῶτοί γε οἱ ἀπὸ τῆς Μαρκίωνος αἱρέσεως Μαρκιωνισταὶ καλούμενοι πλείστους ὅσους ἔχειν Χριστοῦ μάρτυρας λέγουσιν, ἀλλὰ τόν γε Χριστὸν αὐτὸν κατὰ ἀλήθειαν οὐχ ὁμολογοῦσι.“ Cf. Apollonium apud Eus. h. e. V, 18, 5: „Ἔτι δὲ καὶ Θεμίσων, ὁ τὴν ἀξιόπιστον πλεονεξίαν ἠμφιεσμένος, ὁ μὴ βαστάσας τῆς ὁμολογίας τὸ σημεῖον, ἀλλὰ πλήθει χρημάτων ἀποθέμενος τὰ δεσμὰ, δέον ἐπὶ τούτῳ ταπεινοφρονεῖν, ὡς μάρτυς καυχώμενος ἐτόλμησε.“ § 6: „Ἵνα δὲ μὴ περὶ πλειόνων λέγωμεν, ἡ προφῆτις ἡμῖν εἰπάτω τὰ κατὰ Ἀλέξανδρον τὸν λέγοντα ἑαυτὸν μάρτυρα, ᾧ συνεστιᾶται, ᾧ προσκυνοῦσι καὶ αὐτῷ πολλοὶ, οὗ τὰς λῃστείας καὶ τὰ ἄλλα τολμήματα ἐφ᾽ οἷς κεκόλασται, οὐχ ἡμᾶς δεῖ λέγειν, ἀλλὰ ὁ ὀπισθόδομος ἔχει.“ § 7: „Δείξομεν γὰρ τοὺς λεγομένους παῤ αὐτοῖς προφήτας καὶ μάρτυρας μὴ μόνον παρὰ πλουσίων, ἀλλὰ καὶ παρὰ πτωχῶν καὶ ὀρφανῶν καὶ χηρῶν κερματιζομένους“ κτλ.

3) Eus. h. e. V, 2, 5—7: „Ἐταπείνουν ἑαυτοὺς ὑπὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα, ὑφ᾽ ἧς ἱκανῶς νῦν εἰσιν ὑψωμένοι. Τότε δὲ πᾶσι μὲν ἀπελογοῦντο, κατηγόρουν δὲ οὐδενὸς, ἔλυον ἅπαντας, ἐδέσμευον δὲ οὐδένα, καὶ ὑπὲρ τῶν τὰ δεινὰ διατιθέντων ηὔχοντο, καθάπερ Στέφανος ὁ τέλειος μάρτυς· Κύριε, μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην. Εἰ δ᾽ ὑπὲρ τῶν λιθαζόντων ἐδέετο, πόσῳ μᾶλλον ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν;“ καὶ αὖθίς φασι μεθ᾽ ἕτερα· „Οὗτος γὰρ καὶ μέγιστος αὐτοῖς πρὸς αὐτὸν ὁ πόλεμος ἐγένετο διὰ τὸ γνήσιον τῆς ἀγάπης, ἵνα ἀποπνιχθεὶς ὁ θὴρ, οὓς πρότερον ᾤετο καταπεπωκέναι, ζῶντας ἐξεμέσῃ. Οὐ γὰρ ἔλαβον καύχημα κατὰ τῶν πεπτωκότων, ἀλλ᾽ ἐν οἷς ἐπλεόναζον αὐτοὶ, τοῦτο τοῖς

phryges totam ecclesiam accusasse[1]) et summa severitate in peccatores animadvertisse atque delictorum maiorum reis etiam paenitentia fungentibus absolutionem negasse, ut neque propheta neque martyr eis pacem ecclesiae redderet.[2]) Dēinde etiam fusius narratur, Alcibiadem, qui aqua et pane se aluit, in carcere per revelationem Attali esse erroris convictum,[3]) cum sciamus, Montanistas, quamvis nullum cibum impurum declararent, tamen abstinentiam et ieiunia

---

ἐνδεεστέροις ἐπήρκουν, μητρικὰ σπλάγχνα ἔχοντες καὶ πολλὰ περὶ αὐτῶν ἐκχέοντες δάκρυα πρὸς τὸν πατέρα. Ζωὴν ᾐτήσαντο, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς, ἣν καὶ συνεμερίσαντο τοῖς πλησίον. Κατὰ πάντων νικηφόροι πρὸς θεὸν ἀπελθόντες, εἰρήνην ἀγαπήσαντες ἀεὶ καὶ εἰρήνην ἀεὶ παρεγγυήσαντες, μετ᾽ εἰρήνης ἐχώρησαν πρὸς θεὸν, μὴ καταλιπόντες πόνον τῇ μητρὶ, μηδὲ στάσιν καὶ πόλεμον τοῖς ἀδελφοῖς, ἀλλὰ χαρὰν καὶ εἰρήνην καὶ ὁμόνοιαν καὶ ἀγάπην.“

1) Anonym. apud Eus. h. e. V, 16, 9: „*τὴν δὲ καθόλου καὶ πᾶσαν τὴν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἐκκλησίαν βλασφημεῖν διδάσκοντος τοῦ ἀπηυθαδιασμένου πνεύματος, ὅτι μήτε τιμὴν μήτε πάροδον εἰς αὐτὴν τὸ ψευδοπροφητικὸν ἐλάμβανε πνεῦμα.*“ Cf. Apollonium apud Eus. h. e. V, 18, 5: „*Ἔτι δὲ καὶ Θεμίσων, ὁ τὴν ἀξιόπιστον πλεονεξίαν ἠμφιεσμένος, ὁ μὴ βαστάσας τῆς ὁμολογίας τὸ σημεῖον, ἀλλὰ πλήθει χρημάτων ἀποθέμενος τὰ δεσμὰ, δέον ἐπὶ τούτῳ ταπεινοφρονεῖν, ὡς μάρτυς καυχώμενος ἐτόλμησε, μιμούμενος τὸν ἀπόστολον, καθολικήν τινα συνταξάμενος ἐπιστολὴν, κατηχεῖν μὲν τοὺς ἄμεινον αὐτοῦ πεπιστευκότας, συναγωνίζεσθαι δὲ τοῖς τῆς κενοφωνίας λόγοις, βλασφημῆσαι δὲ εἰς τὸν κύριον καὶ τοὺς ἀποστόλους καὶ τὴν ἁγίαν ἐκκλησίαν.*“

2) Tert. de pud. 21 (Oehler I p. 842): „Sed habet, inquis, potestatem ecclesia delicta donandi. Hoc ego magis et agnosco et dispono, qui ipsum paracletum in prophetis novis habeo dicentem, Potest ecclesia donare delictum, sed non faciam, ne et alia delinquant.“ Cf. Apollonium apud Eus. h. e. V, 18, 7 lusorie dicentem: „*Τίς οὖν τίνι χαρίζεται τὰ ἁμαρτήματα; πότερον ἡ προφῆτις τὰς λῃστείας τῷ μάρτυρι, ἢ ὁ μάρτυς τῇ προφήτιδι τὰς πλεονεξίας;*“ quae verba Ritschl rectissime interpretatus est. („Die Entstehung der altkatholischen Kirche“ Aufl. II p. 518).

3) Eus. h. e. V, 3, 1—3: *Ἡ δ᾽ αὐτὴ τῶν προειρημένων μαρτύρων γραφὴ καὶ ἄλλην τινὰ μνήμης ἀξίαν ἱστορίαν περιέχει, ἣν καὶ οὐδεὶς ἂν γένοιτο φθόνος, μὴ οὐχὶ τῶν ἐντευξομένων εἰς γνῶσιν προσθεῖναι. Ἔχει δὲ οὕτως. Ἀλκιβιάδου γάρ τινος ἐξ αὐτῶν πάνυ αὐχμηρὸν βιοῦντος βίον καὶ μηδενὸς ὅλως τὸ πρότερον μεταλαμβάνοντος, ἀλλ᾽ ἢ ἄρτῳ καὶ ὕδατι*

fovisse.[1]) Quibus in omnibus rebus litteras Gallorum non sine consilio Montanistis contraria professas esse, etiam eo affirmatur, quod Eusebius certe martyrum caritatem erga lapsos duritiae posteriorum opposuit,[2]) et eo, quod idem post illam de Alcibiade relationem statim narrare pergit, quomodo Galli de Cataphrygibus iudicaverint. Quid enim fuit, quod Eusebio, ut litteris Gallicis ad severiorem paenitentiae disciplinam recusandam uteretur, ansam daret, nisi litterae ipsae hoc consilium severiores improbandi prae se tulissent, et quomodo facilius declarabimus, cur Eusebius iudicio Gallorum de Cataphrygibus praemiserit illam de Alcibiadis emendatione relationem, quam statuentes hanc iam in litteris ipsis ideo prolatam esse, ut Montanistarum severior disciplina castigaretur? Adde quod Eusebius, qui ipse Cataphryges perhorrescebat, Gallorum iudicium de Cataphrygibus scrupulosum nominat et orthodoxissimum.[3])

χρωμένου, πειρωμένου τε καὶ ἐν τῇ εἱρκτῇ οὕτω διάγειν, Ἀττάλῳ μετὰ τὸν πρῶτον ἀγῶνα, ὃν ἐν τῷ ἀμφιθεάτρῳ ἤνυσεν, ἀπεκαλύφθη, ὅτι μὴ καλῶς ποιοίη Ἀλκιβιάδης, μὴ χρώμενος τοῖς κτίσμασι τοῦ θεοῦ καὶ ἄλλοις τύπον σκανδάλου ὑπολειπόμενος. Πεισθεὶς δὲ ὁ Ἀλκιβιάδης πάντων ἀνέδην μετελάμβανε, καὶ ηὐχαρίστει τῷ θεῷ. Οὐ γὰρ ἀνεπίσκεπτοι χάριτος θεοῦ ἦσαν, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἦν σύμβουλον αὐτοῖς.

1) Cf. Tert. de iei.; Epiph. haer. XLVIII § 8. 9; Apollonium apud Euseb. h. e. V, 18, 2: *Οὗτός ἐστιν ὁ διδάξας λύσεις γάμων, ὁ νηστείας νομοθετήσας.* Philos. VIII, 19: *καινίζουσι δὲ νηστείας καὶ ἑορτὰς καὶ ξηροφαγίας καὶ ῥαφανοφαγίας φάσκοντες ὑπὸ τῶν γυναίων δεδιδάχθαι.* X, 25: *νηστείας καινὰς καὶ παραδόξους ὁρίζοντες.*

2) Eus. h. e. V, 2, 8: *Ταῦτα καὶ περὶ τῆς τῶν μακαρίων ἐκείνων πρὸς τοὺς παραπεπτωκότας τῶν ἀδελφῶν στοργῆς ὠφελίμως προσκείσθω, τῆς ἀπανθρώπου καὶ ἀνηλεοῦς ἕνεκα διαθέσεως τῶν μετὰ ταῦτα ἀφειδῶς τοῖς Χριστοῦ μέλεσι προσενηνεγμένων.*

3) Eus. h. e. V, 3, 4: *Τῶν δ' ἀμφὶ τὸν Μοντανὸν καὶ Ἀλκιβιάδην καὶ Θεόδοτον περὶ τὴν Φρυγίαν ἄρτι τότε πρῶτον τὴν περὶ τοῦ προφητεύειν ὑπόληψιν παρὰ πολλοῖς ἐκφερομένων, (πλεῖσται γὰρ οὖν καὶ ἄλλαι παραδοξοποιΐαι τοῦ θείου χαρίσματος εἰσέτι τότε κατὰ διαφόρους ἐκκλησίας ἐκτελούμεναι πίστιν παρὰ πολλοῖς τοῦ κἀκείνους προφητεύειν παρεῖχον), καὶ δὴ διαφωνίας ὑπαρχούσης περὶ τῶν δεδηλωμένων, αὖθις οἱ κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφοὶ τὴν ἰδίαν κρίσιν καὶ περὶ τούτων εὐλαβῆ καὶ ὀρθοδοξο-*

Neque nos praeterire debet, Irenaeum, qui legatus martyrum Gallicorum ad Eleutherum ivit, et a martyribus ut *ζηλωτὴν τῆς διαθήκης Χριστοῦ* Eleuthero commendatum esse[1]) et ipsum Cataphrygum prophetiam pseudoprophetiam duxisse. Hoc elucet primum ex tertio eius libro contra haereses 11, 9 (ed. Stieren I p. 473): „Alii vero ut donum spiritus frustrentur, quod in novissimis temporibus secundum placitum Patris effusum est in humanum genus, illam speciem non admittunt, quae est secundum Joannis evangelium, in qua Paracletum se missurum Dominus promisit; sed simul et evangelium et propheticum repellunt spiritum. Infelices vere, qui pseudoprophetas (pro „pseudoprophetae") quidem esse volunt; propheticam vero gratiam repellunt ab ecclesia: similia patientes his, qui propter eos, qui in hypocrisi veniunt, etiam a fratrum communicatione se abstinent."

Qui enim haec verba diligentius inspexerit, facile intelliget, ea hac sententia contineri, oportere etiam veram prophetiam in ecclesia esse, siquidem pseudoprophetia in ecclesia sit. Ex hac sententia irridet Irenaeus adversarios, quia affirment, pseudoprophetiam in ecclesia esse, et quodammodo sibi ipsis contradicentes pseudoprophetarum causa veram prophetiam aspernentur. Haudquaquam ergo dubium

---

τάτην ὑποτάττουσιν, ἐκθέμενοι καὶ τῶν παρ' αὐτοῖς τελειωθέντων μαρτύρων διαφόρους ἐπιστολάς, ἃς ἐν δεσμοῖς ἔτι ὑπάρχοντες τοῖς ἐπ' Ἀσίας καὶ Φρυγίας ἀδελφοῖς διεχάραξαν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ἐλευθέρῳ τῷ τότε Ῥωμαίων ἐπισκόπῳ τῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης ἕνεκεν πρεσβεύοντες.

1) Eus. h. e. V, 4, 1. 2: *Οἱ δ' αὐτοὶ μάρτυρες καὶ τὸν Εἰρηναῖον, πρεσβύτερον ἤδη τότ' ὄντα τῆς ἐν Λουγδούνῳ παροικίας, τῷ δηλωθέντι κατὰ Ῥώμην ἐπισκόπῳ συνίστων, πλεῖστα τῷ ἀνδρὶ μαρτυροῦντες, ὡς αἱ τοῦτον ἔχουσαι τὸν τρόπον δηλοῦσι φωναί· „Χαίρειν ἐν θεῷ σε ἐν πᾶσιν εὐχόμεθα καὶ ἀεί, πάτερ Ἐλεύθερε. Ταῦτά σοι τὰ γράμματα προετρεψάμεθα τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν καὶ κοινωνὸν Εἰρηναῖον διακομίσαι, καὶ παρακαλοῦμεν ἔχειν σε αὐτὸν ἐν παραθέσει, ζηλωτὴν ὄντα τῆς διαθήκης Χριστοῦ. Εἰ γὰρ ᾔδειμεν τόπον τινὶ δικαιοσύνην περιποιεῖσθαι, ὡς πρεσβύτερον ἐκκλησίας, ὅπερ ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ, ἐν πρώτοις ἂν παρεθέμεθα."*

esse potest, quin cum Moellero (l. c.) aliisque coniectura a Merkelio et Olshausenio proposita sit approbanda, secundum quam legendum est „Infelices vere, qui pseudoprophetas quidem esse volunt", eis autem renuntiandum sit, qui aut non modo pro „pseudoprophetae" „pseudoprophetas" sed etiam sine causa pro „volunt" „nolunt" emendaverunt[1]) aut lectionem traditam retinuerunt.[2]) Si vero Irenaeus addit „similia patientes his, qui propter eos, qui in hypocrisi veniunt, etiam a fratrum communicatione se abstinent", etiam hoc manifestum est, quod Zahn (G. d. n. K. I 1 p. 242) negat, eum ipsum quoque inter pseudoprophetas retulisse, quos adversarii eius tales declaraverunt. Hos autem Montanistarum prophetas fuisse, inter omnes constat. Ergo efficitur, etiam Irenaeum novos prophetas pseudoprophetas putavisse. Atque idem apparet ex quarto libro contra haereses 33, 6 (ed Stieren I p. 669.): „Judicabit autem et pseudoprophetas, qui non accepta a Deo prophetica gratia, nec Deum timentes, sed aut propter vanam gloriam, aut ad quaestum aliquem, aut et aliter secundum operationem mali spiritus, fingunt se prophetare, mentientes adversus Deum". Nam qui haec verba conferet cum anonymi et Apollonii testimoniis de ambitione et avaritia prophetarum Cataphrygiorum et de malo spiritu eos implente,[3]) pro certo habebit, pseudoprophetas, de quibus Irenaeus agat, eosdem esse atque

---

1) Lücke: Kommentar über die Schriften des Evangel. Joh. II Aufl. I p. 48; Ziegler: Irenäus; Hesse: Das murator. Fragment p. 113; Ritschl l. c. p. 542; Bonwetsch l. c. p. 23; Zahn: Ztsch. f. hist. Theologie 1875 p. 72 sqq.; Geschichte des neutestamentlichen Kanons I, 1 p. 244. Iniuste Zahn illo priore loco (p. 81) contendit, Merkelianam emendationem tollere contradictionem quam Irenaeus suis adversariis obiiciat. Nonne contradictio est simul pseudoprophetiam in ecclesia esse oportere fateri et prophetiam veram esse oportere negare?

2) Hilgenfeld l. c. p. 564.

3) Eus. h. e. V, 16, 7. 8; V, 18, 2. 3. 4; cf. § 7. 11.

anonymi et Apollonii.[1]) Haec vero Irenaei tam clara sententia plerosque viros doctos fugit. Nunc demum optandum est, ut viri docti desistant, Irenaeum montanizantem declarare.[2]) Eodem enim iure ille Eusebianus anonymus, Montanismi vehementissimus adversarius, montanizans pronuntiari possit. Nam docuit, ut Irenaeus et paene omnes Christiani illius temporis, charisma propheticum in ecclesia et esse et fore usque ad reditum Christi.[3]) Ne obscurentur rerum discrimina! Id unum fateor, Irenaeum Montanistas non inter haereticos retulisse. Ex quo nihil aliud efficitur nisi Irenaeum inter pseudoprophetas eorumque sectatores et inter haereticos discrevisse sicut adversarios Tertulliani.[4])

Quae omnia si tecum reputaveris, dubitare non poteris, quin Galli Cataphrygum adversarii fuerint. Quid autem inde efficitur? Nonne iam patet, Gallorum epistolas inter Cataphryges et inter ecclesias pacem componere noluisse? An putet aliquis, martyres sperasse, se Montanum conciliaturos esse, cum eum repudiarent? Quod si statui non potest, restat, ut censeamus, illas epistolas inter ecclesias ad Montanismum propensas et ei infestas intercessisse, quod

---

1) Neque ulla causa est cum Volkmaro (Hippolytus etc. p. 112) suspicandi Cataphryges sub schismaticorum nomine ab Irenaeo esse designatos (Iren. IV, 33, 7). Sed verisimillimum est, schismaticorum nomine Blastos aliosque significari, praesertim cum etiam Eusebius pseudoprophetas Phrygios praemittat schismatico Blasto (Eus. h. e. V, 14. 15. 20.), quem Montanistam putans Schwegler una cum Massueto et Gieselero valde erravit („Der Montanismus u. die christl. Kirche des II. Jahrh." Tübingen 1841 p. 252).

2) Schwegler l. c. p. 223. 253; Volkmar l. c. p. 111 sq.; Hilgenfeld l. c. p. 564 sq.; Harnack Ztschr. für Kirchengesch. III p. 371.

3) Eus. h. e. V, 17, 4, cf. Eus. h. e. V, 7.

4) Tert. de iei. 1: „Novitatem igitur obiectant, de cuius inlicito praescribant aut haeresin iudicandam si humana praesumptio est, aut pseudoprophetiam pronuntiandam si spiritalis indictio est, dum quaque ex parte anathema audiamus qui aliter adnuntiamus."

eo affirmatur, quod Galli non sine consilio litteris suis praefigebant: „Οἱ ἐν Βιέννῃ καὶ Λουγδούνῳ τῆς Γαλλίας παροικοῦντες δοῦλοι Χριστοῦ τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν τὴν αὐτὴν τῆς ἀπολυτρώσεως ἡμῖν πίστιν καὶ ἐλπίδα ἔχουσιν ἀδελφοῖς“ (Eus. h. e. V, 1, 3). Etiamsi autem non infitior, inter has Montanismo infestas ecclesias multas Asiaticas fuisse, tamen etiam id elucet, caput illarum fuisse ecclesiam Romanam. Quid enim? Nonne sic demum patebit, cur Galli episcopo Romano Eleuthero Irenaeum ut ζηλωτὴν τῆς διαθήκης Χριστοῦ commendaverint, si suspicabimur, Eleutherum Cataphryges testamento Christi contrarios putavisse? Et cur Galli omnino ad episcopum Romanum scripserunt, si hic Cataphrygibus adversarius non erat? Cur non satis habebant ipsi intercedere in Asia? Adde,

1) quod anonymus apud Eusebium narrat, multa concilia de Montanistica re in Asia fuisse, priusquam prophetae Phrygii ex ecclesia eiicerentur,[1]) unde apparet, in Asia saltem non paucas ecclesias diu Montanismo fuisse infectas,

2) quod, ut ex aliis rebus constat, illa, quae iam citavimus, verba Tertullianei libri adversus Praxeam (c. 1.) in nullum alium nisi in Victorem (a. 189—199) respicere possunt,[2]) unde efficitur, sub praecessoribus Victoris, saltem Eleuthero (a. 175—189) et Sotere (a. 167—175), ecclesiam Romanam Cataphryges communione ecclesiae arcuisse.[3])

---

1) Eus. h. e. V, 16, 10.

2) Cf. Allixii dissertationem de Tert. vita et scriptis (ed. Oehler tom. III p. 47) et Moellerum (l. c. p. 257). Aliam sententiam probaverunt Schwegler l. c. 249 sqq., Ritschl l. c. 542 sq., Bonwetsch l. c. p. 140. 174, Harnack „Der pseudocyprianische Traktat De aleatoribus, Texte und Untersuchungen etc. V, 1 p. 114.

3) Admodum coacte et contorte Bonwetsch per „praecessores“, quorum „auctoritates“ Praxeas apud episcopum Romanum defendit, apostolos Petrum et Paulum intellexit, opinans, Praxeam inculcasse auctoritatem cathedrae Romanae novarum revelationum non indigentis. („Die Schriften Tertullians“ Bonn 1878 p. 87 sq.; „Die Geschichte des Montanismus“ p. 52).

3) quod Praedestinatus refert, iam Soterem contra Cataphryges scripsisse,[1]) quare iam plerique id saltem opinabantur, Eleutherum certe initio Cataphrygibus fuisse hostilem.

Ut tandem concludamus, invenimus, et Gallos et episcopum Romanum Cataphrygum adversarios fuisse, ecclesias Asiaticas autem Montanismo valde infectas fuisse. Quare censeo, Gallorum epistolas inter episcopum Romanum et inter ecclesias Asiaticas intercessisse, et ut illum moverent, ne totas ecclesias repelleret, et ut his persuaderent, ut falsae prophetiae renuntiarent.[2]) Et quam difficiles sunt eorum opiniones de Irenaeo, qui putant eum apud episcopum Romanum Montanistarum causam egisse. Aut clara eius verba obscuraverunt aut putaverunt, eum, cum primum Montanistis faveret, ab illo Praxea seu episcopo Romano adductum esse, ut sententiam suam de illis mutaret.[3]) Atque Ritschl etiam censet, Gallos omnino de Montanistis pauca modo novisse (l. c. p. 540). Quae qui probare nolet, eum oportet nostram opinionem recipere, quae omnes difficultates tollit, etiam illas, quas Bonwetsch ex litteris Gallicis contra Eusebianam Montanismi chronologiam creavit. Quid enim exploravimus? Nihil aliud nisi a. 177 multos in ecclesiis Asiaticis atque fortasse etiam totas ecclesias ad Montanismum fuisse pro-

---

1) Praed. c. 26 (Oehler corp. haereseol. tom. I p. 241): „Scripsit contra eos librum sanctus Soter papa Urbis, et Apollonius Ephesiorum antistes;“ c. 86 (l. c p. 264): „Tertullianistas olim a Sotere papa Romano damnatos legimus . . . . . et defendit (scil. Tertullianus) Montanum et Priscam et Maximillam contra fidem catholicam, et contra Apollonium episcopum orientis, et contra Soterem papam urbis Romae.“ Quas relationes Bonwetsch, quia Praxeam apud episcopum Romanum ad apostolos respexisse censuit, iniuste addubitavit (Die Schr. Tert. p. 88 Die Gesch. des Mont. p. 52).

2) Ceterum non infitior, iudicium Gallorum de prophetis Phrygiis mite et moderatum fuisse, sed in forma, non in re, ac quidem fidelium causa.

3) Ritschl l. c. p. 541 · Moeller l. c. p. 256.

pensas et prudentiores nonnullos homines ecclesias occidentales de rebus in Asia certiores fecisse, ut hae iudicium facerent. Quid ergo me impedit, quominus credam, Montanismum a. 172 ortum esse? Ne nota repetam, explanare supersedeo, quam arcte tunc Christiani totius orbis cohaeserint, quam celeriter omnes res, quae Christianos movebant, Romam pervenerint, quam familiares atque coniunctae inter se fuerint ecclesiae Asiaticae et Gallicae. Quod vero anonymus apud Eusebium nobis refert, Montanum primo paucos modo sectatores habuisse,[1]) haec relatio et ad primos Montanismi annos respicere potest et componenda est cum anonymo referente, multa concilia in rebus Montanisticis in Asia fuisse.[2]) At Bonwetsch ad hunc locum (Eus. h. e. V, 16, 9) non provocavit. Quamquam nonnulla alia restant, quae ille doctissimus vir contra Eusebii chronologiam monuit. Etiamsi enim Keimio non assentiatur, qui Phrygem illum nomine Quintum, quem temporibus passionis Polycarpi (a. 155 aut 156) temere ad martyrium properasse et deinde negasse in actis martyrii Polycarpi nobis traditur (c. 4), Montanistam putavit,[3]) attamen (l. c. p. 143 sq) censet, Quintum iam illam dispositionem prae se tulisse, quae paulo post in Montanismo tantum invaluisset. Cui oppono, iam diu ante Quintum Christianos martyrii cupidissimos fuisse[4]) neque me videre, cur, si inter Ignatium et Quintum circiter quadraginta anni intercesserunt, inter Quintum et Montanum sedecim anni intercedere non potuerint. Huc accedit, quod nusquam traditum est, Cataphryges voluntarie se ad martyrium praecipitasse. Et Voelter (l. c. p. 33 sq) monstrat,

1) Eus. h. e. V, 16, 9 v. supra.

2) Eus. h. e. V, 16, 10 v. supra.

3) Theod. Keim: „Aus dem Urchristenthum“ 1878 p. 120 p. 155.

4) Ign. ad Rom. 1, 2; 2, 2; 4, 1; 8, 3; ad Smyrn. 4, 2. Num sententia, quae his locis inest, a posterioribus, ut Ignatio tribueretur, est ficta?

quam incerta sit coniectura, quae proconsulem Servilium Paulum, sub quo Sagaris passus est,[1]) esse Sergium Paulum declarat, qui a. 168 secundum consul fuit et praefectus urbis factus est, ergo antea proconsul in Asia fuisse potest.[2]) Quo fit, ut nihil habeamus, quo monstremus, Thraseam martyrem Montanistarum aequalem,[3]) qui a Polycrate ante Sagarim nominatur,[4]) ante a. 172 esse mortuum, quamvis vix dubium sit, quin illa illustrium virorum series a Polycrate prolata secundum chronologiam ordinata sit.[5]) Multo vero minus cetera, quae Bonwetsch protulit, nos cogunt Eusebium repudiare. Ut igitur concludamus, cur Epiphanium Eusebio praeferamus, nullam causam habemus. Neque puto Zahnio contingere posse, ut Bonwetschii opinionem restituat, etiamsi, ut videtur, nonnulla nova argumenta afferat.

Si vero Montanismus ortus est anno 172, Apollonius a. 212 suum opus contra Cataphryges edidit, ex quo Eusebius nobis (h. e. V, 18) nonnulla exscripsit. Nam idem refert, Apollonium ipsum pronuntiasse, se quadraginta annis

---

1) Melito apud Eus. h. e. IV, 26, 3: „*Ἐπὶ Σερουιλλίου Παύλου ἀνθυπάτου τῆς Ἀσίας, ᾧ Σάγαρις καιρῷ ἐμαρτύρησεν.*“

2) Cf. Waddington: Fastes des provinces Asiatiques p. 731; Bonwetsch l. c. p. 142.

3) Eus. h. e. V, 18, 13: *Καὶ Θρασέα δέ τινος τῶν τότε μαρτύρων μνημονεύει* (scil. Apollonius).

4) Polycr. apud Eus. h. e. V, 24, 3—5: „*ἔτι δὲ καὶ Ἰωάννης ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ κυρίου ἀναπεσών, ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορεκώς, καὶ μάρτυς καὶ διδάσκαλος · οὗτος ἐν Ἐφέσῳ κεκοίμηται · ἔτι δὲ καὶ Πολύκαρπος ἐν Σμύρνῃ καὶ ἐπίσκοπος καὶ μάρτυς · καὶ Θρασέας καὶ ἐπίσκοπος καὶ μάρτυς ἀπὸ Εὐμενείας, ὃς ἐν Σμύρνῃ κεκοίμηται. Τί δὲ δεῖ λέγειν Σάγαριν ἐπίσκοπον καὶ μάρτυρα, ὃς ἐν Λαοδικείᾳ κεκοίμηται, ἔτι δὲ καὶ Παπίριον τὸν μακάριον, καὶ Μελίτωνα τὸν εὐνοῦχον κτλ.*

5) Ut mea opinio est, pro Servilio Paulo (Eus. h. e. IV, 26, 3) fortasse ponendus est Servilius Pudens, qui a. 166 consul erat (Clinton, Fasti Romani I p. 156). Servilium Rullum, quem Voelter suspicatur, fasti Romani non praebent.

post Montani inceptum scribere.[1]) Quocum bene concordat, quod Hieronymus memorat, Tertullianum septimum suum de ecstasi librum proprie contra Apollonium elaborasse; nam ex eodem Hieronymo clarissime elucet, hunc Tertulliani librum non eodem tempore ac priores libros de ecstasi, quos iam anno 205—206 esse editos mihi constat, scriptum esse, sed aliquanto post.[2]) Illo vero tempore, cum Apollonius scribebat, in Phrygia erat persona quaedam prophetica atque, quae haec fuerit, explorare multum refert. Textus vero codicum non parvam difficultatem parat, modo *προφῆτις*, modo *προφήτης* praebens.[3]) Sed clarum est, Montanum

1) Eus. h. e. V, 18, 12: *Ὁ δ' αὐτὸς οὗτος Ἀπολλώνιος κατὰ τὸ αὐτὸ σύγγραμμα ἱστορεῖ, ὡς ἄρα τεσσαρακοστὸν ἐτύγχανεν ἔτος ἐπὶ τὴν τοῦ συγγράμματος αὐτοῦ γραφὴν, ἐξ οὗ τῇ προσποιήτῳ αὐτοῦ προφητείᾳ ὁ Μοντανὸς ἐπικεχείρηκε.*

2) Hieronymus de viris illustr. c. 40: Tertullianus sex voluminibus adversus ecclesiam editis, quae scripsit de *ἐκστάσει*, septimum proprie adversum Apollonium elaboravit, in quo omnia, quae ille arguit, conatur defendere. Floruit autem Apollonius sub Commodo Severoque principibus. c. 53: Specialiter autem adversus ecclesiam texuit volumina de pudicitia, de persecutione, de ieiuniis, de monogamia, de ecstasi libros sex et septimum, quem adversus Apollonium composuit. Cf. Voelterum l. c. p. 31 sq., qui ceterum vitae Tertulliani chronologiam non recte perspexit, quia eo inclinat, ut opinetur, etiam priores de ecstasi libros post a. 211—212 esse editos.

3) Eus. h. e. V, 18, 6: „*Ἵνα δὲ μὴ περὶ πλειόνων λέγωμεν, ἡ προφῆτις ἡμῖν εἰπάτω τὰ κατὰ Ἀλέξανδρον τὸν λέγοντα ἑαυτὸν μάρτυρα, ᾧ συνεστιᾶται.*“ § 7 „*Τίς οὖν τίνι χαρίζεται τὰ ἁμαρτήματα; πότερον ὁ προφήτης* (secundum Rufinum etc. Heinichen: *ἡ προφῆτις*) *τὰς λῃστείας τῷ μάρτυρι, ἢ ὁ μάρτυς τῷ προφήτῃ* (secundum Rufinum etc. Heinichen: *τῇ προφήτιδι*) *τὰς πλεονεξίας;*“ § 9 „*Καὶ ἡ ἰδία παροικία αὐτὸν* (scil. *Ἀλέξανδρον*), *ὅθεν ἦν, οὐκ ἐδέξατο, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν λῃστὴν, καὶ οἱ θέλοντες μαθεῖν τὰ κατ' αὐτὸν ἔχουσι τὸ τῆς Ἀσίας δημόσιον ἀρχεῖον, ὃν ὁ προφήτης* (Strothius, Schwegler: *ἡ προφῆτις*) *συνόντα πολλοῖς ἔτεσιν ἀγνοεῖ.*“ § 10 „*Τοῦτον ἐλέγχοντες ἡμεῖς, δι' αὐτοῦ καὶ τὴν ὑπόστασιν ἐξελέγχομεν τοῦ προφήτου* (Strothius: *τῆς προφήτιδος*).“ Cf. ed. Heinichenii Lipsiae 1868 p. 242 sq. Plus de his locis statim infra! Iam hic vero annoto, me legere cum codicibus in § 9 „*ὃν — — συνόντα πολλοῖς ἔτεσιν ἀγνοεῖ*“ pronomen relativum referentem ad Alexandrum, quae constructio,

illam propheticam personam non fuisse. De hoc enim verba faciens Apollonius utitur identidem tempore praeteriti et tempus praesentis nonnisi ibi ponit, ubi dicit de rebus, quae usque ad ipsius tempus permanserant neque desierant.[1]) Deinde non magis verisimile est, Priscillam illo loco designari. Nam iterum invenimus apud Priscillam tempus praeteritum,[2]) quod nos certiores facit, etiam Priscillam iam decessisse. Neque nobis mirum erit, quod Eusebius de morte Montani et Priscillae ex Apollonio nihil exscripsit, si considerabimus, eum de Montani et Maximillae et Theodoti ignominiosa morte antea iam relationem anonymi in suum usum convertisse.[3]) Ita id unum probabile esse videtur, quod Bonwetsch (l. c. p. 147) coniecit, Maximillam fuisse illam personam propheticam, de qua Apollonius agit (Eus. h. e. V, 18, 6. 7. 9. 10.). Neque infitiandum est, nonnulla esse, quibus haec opinio commendetur. Ac primum quidem Maximillam fuisse non modo Montani sed etiam Priscillae superstitem iam ex eo elucet, quod illorum nomina ita semper coniunguntur, ut Montanum excipiat Priscilla,

---

etiamsi dura sit, tamen non falsa est; nam neque ullo modo Alexander, cum expresse antea in § 7 ut martyr a prophetis sit distinctus, in §§ 9 et 10 sub prophetae nomine intelligi posse mihi videtur et periodus prima § 10 *Τοῦτον κτλ* ita demum aptum sensum praebet, si *Τοῦτον* ad Alexandrum respicit. Reiicio igitur lectionem ab Heinichenio commendatam: *ᾧ ὁ προφήτης συνὼν πολλοῖς ἔτεσιν ἀγνοεῖ.*

1) Eus. h. e. V, 18, 2: „*ὁ διδάξας λύσεις γάμων, ὁ νηστείας νομοθετήσας, ὁ Πέπουζαν καὶ Τύμιον Ἱερουσαλὴμ ὀνομάσας, τοὺς πανταχόθεν ἐκεῖ συναγαγεῖν ἐθέλων* (hoc praesens dependet ab *ὀνομάσας*), *ὁ πρακτῆρας χρημάτων καταστήσας — ὁ ἐπ᾽ ὀνόματι προσφορῶν τὴν δωροληψίαν ἐπιτεχνώμενος, ὁ σαλάρια χορηγῶν τοῖς κηρύττουσιν αὐτοῦ τὸν λόγον, ἵνα διὰ τῆς γαστριμαργίας ἡ διδασκαλία τοῦ λόγου κρατύνηται.*“ § 7 „*Δείξομεν γὰρ τοὺς λεγομένους παρ᾽ αὐτοῖς προφήτας καὶ μάρτυρας μὴ μόνον παρὰ πλουσίων, ἀλλὰ καὶ παρὰ πτωχῶν καὶ ὀρφανῶν καὶ χηρῶν κερματιζομένους;*“

2) Eus. h. e. V, 18, 3: „*Πῶς οὖν ἐψεύδοντο Πρίσκαν παρθένον ἀποκαλοῦντες;*“

3) Eus. h. e. V, 16, 13—15.

hanc Maximilla.[1]) Deinde consentaneum videtur, Apollonium, cum de Montano et Priscilla dixisset (Eus. h. e. V, 18, 2. 3), ad Maximillam transisse (§ 4—10). Neque Hieronymus repugnat tradens, Apollonium non modo exitum Montani et Priscillae sed etiam Maximillae narrasse,[2]) nam licet Hilgenfeld (l. c. p. 566) censeat, Hieronymum de Apollonio recte tradidisse, ego facere non possum, quin putem, Hieronymum per lapsum memoriae relationes anonymi et Apollonii confudisse, cum eas apud Eusebium coniunctas vidisset. Sed si asserere vellemus, Maximillam Apollonii temporibus vixisse, necesse esset, statuere, anonymum illud suum opus contra Montanistas, quod Eusebius exscripsit, post Apollonium elaborasse. Nam memorat, Maximillam iam tredecim annis ante esse mortuam,[3]) et postea prophetas inter Cataphryges non fuisse.[4])

Neque illud vero anonymum post Apollonium scripsisse, affirmare poteris atque id minime, si probaveris, Montanismum a. 172 esse ortum. Si enim hoc agnoveris, necesse

---

1) Cf. Eus. h. e. V, 14; Tert. adv. Prax. 1; de iei. 1; Epiph. haer. 48, 1; Philast. c. 49; Philos. VIII, 19; X, 25. Maximillam post Montanum esse mortuam, ex anonymo satis constat (Eus. h. e. V, 16, 13).

2) Hier. l. c. c. 40: Apollonius, vir disertissimus, scripsit adversus Montanum, Priscam et Maximillam insigne et longum volumen, quo asserit Montanum et insanas vates eius perisse suspendio, et multa alia.

3) Eus. h. e. V, 16, 19: „*Καὶ πῶς οὐ καταφανὲς ἤδη γέγονε καὶ τοῦτο τὸ ψεῦδος; Πλείω γὰρ ἢ τρισκαίδεκα ἔτη εἰς ταύτην τὴν ἡμέραν, ἐξ οὗ τετελεύτηκεν ἡ γυνὴ, καὶ οὔτε μερικὸς οὔτε καθολικὸς κόσμῳ γέγονε πόλεμος, ἀλλὰ καὶ Χριστιανοῖς μᾶλλον εἰρήνη διάμονος ἐξ᾽ ἐλέου θεοῦ.*“ V, 17, 4: „*Εἰ γὰρ μετὰ Κοδράτον καὶ τὴν ἐν Φιλαδελφείᾳ Ἀμμίαν, ὥς φασιν, αἱ περὶ Μοντανὸν διεδέξαντο γυναῖκες τὸ προφητικὸν χάρισμα, τοὺς ἀπὸ Μοντανοῦ καὶ τῶν γυναικῶν τίνες παρ᾽ αὐτοῖς διεδέξαντο, δειξάτωσαν · δεῖν γὰρ εἶναι τὸ προφητικὸν χάρισμα ἐν πάσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ μέχρι τῆς τελείας παρουσίας, ὁ ἀπόστολος ἀξιοῖ · ἀλλ᾽ οὐκ ἂν ἔχοιεν δεῖξαι τεσσαρεσκαιδέκατον ἤδη που τοῦτο ἔτος ἀπὸ τῆς Μαξιμίλλης τελευτῆς.*“

4) Eus h. e. V, 17, 4 v. supra.

erit, te anonymum usque ad a. 225 differre, quia scripsit tredecim annis post Maximillam mortuam, quam vixisse putas, cum Apollonius scribebat. Huic autem opinioni multa obstant. Ac primum quidem anonymus scripsit ad Avircium Marcellum,[1]) quem verisimile est esse eundem atque illum, cuius vita exstat apud Migne (Patrol. graec. tom 115). Hic autem, ut eodem loco narratur, sub Marco Antonio et Lucio Vero Hierapolitanus episcopus erat neque credibile est, eum usque ad a. 225 vixisse.[2]) Deinde nobis anonymus refert, brevi ante totam Aucyrae ecclesiam nova prophetia esse stupefactam, alteris prophetiam admittentibus alteris consilii expertibus,[3]) quod cum aetate post a. 225 vix convenit. Nam tunc prophetia nova iam per quinquaginta annos illis regionibus erat nota. Porro anonymus memorat, per illos tredecim annos, qui post mortem Maximillae prae-

---

1) Eus. h. e. V, 16, 3: *Προοιμιάζεται γοῦν τοῦτον τὸν τρόπον· „Ἐκ πλείστου ὅσου καὶ ἱκανωτάτου χρόνου, ἀγαπητὲ Ἀουίρκιε Μάρκελλε, ἐπιταχθεὶς ὑπὸ σοῦ συγγράψαι τινὰ λόγον“ κτλ.*

2) Migne Patrol. graec. tom. 115 p. 1211 sqq.: *Μάρκου Ἀντωνίνου καὶ Λευκίου Βήρου, τὴν αὐτοκράτορα Ῥωμαίοις διεπόντων ἀρχήν, δόγμα ἐπὶ πᾶσαν ἐφοίτα τὴν γῆν ὅση τότε Ῥωμαίοις ὑπήκουε, δημοτελεῖς κελεῦον τοῖς λεγομένοις θεοῖς σπονδάς τε καὶ θυσίας ἐπιτελεῖν. Τοῦ γοῦν τοιούτου δόγματος καὶ αὐτῷ Ποπλίῳ τῆς μικρᾶς Φρυγίας ἡγεμονεύοντι τότε καταπεμφθέντος ἦν ὁρᾶν τὴν ὑπὸ Ῥωμαίους πᾶσαν ἑορτάς τε ἄγοντας καὶ θυσίας καὶ σπουδῇ τῷ τῶν αὐτοκρατόρων προστάγματι διακονουμένους· ἥ τε βουλὴ τῶν Ἱεραπολιτῶν καὶ ὁ δῆμος, οὐδὲ οὗτοι τῆς κοινῆς ἐκείνης ἀπελιμπάνοντο τελετῆς. Αὐτὸς δὲ οὗτος, ὁ νῦν ὑπόθεσις ἡμῖν ὑπάρχων Ἀβέρκιος, τὴν Ἱεραπολιτῶν ἐπισκοπὴν ἐγκεχειρισμένος λευχειμονοῦντάς τε τοὺς πολίτας καὶ τὰς ἀνεόρτους ἐκείνας ἑορτὰς ἐπὶ καταστροφῇ, φεῦ! τῆς ἑαυτῶν ψυχῆς ἐπιτελοῦντας ἰδὼν κτλ.* Haec acta fabulosa procul dubio, ut ex capitulo 24 elucet, post impium Julianum conscripta sunt. Sed ex eo, quod Abercium aequalem describunt Barchasanis (Bardesanis) (c. 26) et controversiis Marcioniticis implicatum (c. 25), colligendum sit, ea haec illa ex prioribus fontibus hausisse. In c. 28 narratur, Abercium septuagesimum secundum annum agentem esse mortuum. Ceterum in c. 29 traditur, etiam eius successorem Abercii nomen habuisse.

3) Eus. h. e. V, 16, 4.

terivissent, et orbi et ecclesiae pacem fuisse.[1]) Neque vero sub Septimio Severo nec sub eius successoribus hi tredecim anni pacis reperiuntur, sed sub Commodo solo, ad quem eos etiam plerique retulerunt.[2]) Atque hac re refellitur etiam Bonwetsch, qui Apollonium ad a. 196 referens (l. c. p. 147) putavit, anonymum circa a. 210—215 scripsisse (l. c. p. 146 sq.) His enim temporibus tredecim anni pacis non erant, a. 202—203 persecutione saeviente crudelissima et ab anno 208 bello Britannico flagrante, quod erat saltem „*μερικὸς πόλεμος*“. Adde postremo, quod Eusebius errasset, si anonymus post Apollonium scripsisset. Nam Eusebius sine dubio opinabatur, anonymum suum opus ante Apollonianum edidisse.[3])

Quae cum ita sint, dubium esse non potest, quin anonymus prius scripserit quam Apollonius atque id a. 193. Unde efficitur, Maximillam iam a. 179—180 esse mortuam.[4]) Ergo etiam illa Apollonii persona prophetica anonyma Maximilla fuisse non potest atque constat, cum per tredecim annos post Maximillam nec propheta nec prophetissa fuisset, Apol-

---

1) Eus. h. e. V, 16, 19 v. supra.

2) Voelter l. c. p. 27; Weizsaecker l. c.; Hilgenfeld l. c. p 567. Sub Commodo saltem non maiora bella erant neque erat persecutio Christianorum.

3) Eus. h. e. V, 18, 13: *Καὶ πάλιν φησὶν* (scil. Apollonius), *ὡς ἄρα Ζωτικὸς, οὗ καὶ ὁ πρότερος συγγραφεὺς ἐμνημόνευσεν, κτλ.* Cf. Eus. h. e. V, 18, 1: *Τῆς δὲ κατὰ Φρύγας καλουμένης αἱρέσεως καὶ Ἀπολλώνιος, ἐκκλησιαστικὸς συγγραφεὺς, ἀκμαζούσης εἰσέτι τότε κατὰ τὴν Φρυγίαν ἔλεγχον ἐνστησάμενος, ἴδιον κατ᾽ αὐτῶν πεποίηται σύγγραμμα.* Bonwetsch l. c. p. 30. 147.

4) Voelter (l. c. p. 28) arbitratur, hoc Epiphanium confirmare, cum in haer. 48, 2 tradat, a Maximillae morte usque ad duodecimum annum Valentiniani Valentis Gratiani, id est a. 375, fuisse annos 290. Hunc quidem numerum falsum esse et in 190 corrigendum. Sed id sine scrupulo fieri, cum ex ϱ′ facile σ′ existere potuerit, et etiamsi intervallum maneat quinque annorum, tam accuratum computum exspectari non debere. Sed hac difficultate moti Bonwetsch et Weizsaecker censuerunt, ex illo loco Epiphanii nihil effici posse.

lonio scribente iterum personam propheticam in Phrygia operatam esse, quamvis Maximilla praedixisset, post ipsam prophetam non fore, sed finem. Hoc Voelter iam bene intellexit (l. c. p. 30) assentiente Hilgenfeldo (l. c. p. 590). Neque nos praeteribit, quae illa persona prophetica fuerit. Sine dubio illa Quintilla, a qua Quintilliani erant, quorum Epiphanius mentionem facit (haer. XLIX). Nam nisi hoc coniiciemus, plane obscurum manebit, quid Quintilliani et illa Quintilla sibi voluerint. Etenim Quintillam, ut Bonwetsch suspicatur (l. c. p. 170 sq.), unam eandemque fuisse atque illam, de qua Firmilianus ad Cyprianum scripsit[1]) et quae fere a. 235—236 surrexit, nulla ratione nobis commendatur, cum haec a Montanistis multum differat. Nihil vero obstat, quominus putemus, Quintillam fuisse illam personam propheticam, quae apud Apollonium nobis occurrit. Certe cur de Quintilla tam pauca audiamus, facile declaratur. Neque enim dubitari potest, quin, quia Maximilla praedixisset post ipsam prophetam non fore, magna Cataphrygum pars Quintillam non agnoverit et propterea sectatoribus eius peculiare nomen Quintillianorum datum sit.[2]) Ceterum etiam quispiam dicere poterit, ab hac initium duxisse illum Montanismi secundum florem, de quo Eusebius dicit (IV, 27).

Sed ne a nostro argumento discedamus! Exploravimus igitur, post annum 179/180 per longius tempus nullum pro-

---

1) Inter Cypriani epistolas ep. 75, 10.

2) Manifestum ita factum est, apud Apollonium (Eus. h. e. V, 18, 6—7 in. § 9 extr. § 10 in.) *ἡ προφῆτις* (*τῇ προφήτιδι, τῆς προφήτιδος*) esse legendum, quod eo confirmatur, quod primo loco (§ 6) revera omnes codices *ἡ προφῆτις* habent. Ceterum arbitror, Apollonium § 4 de Maximilla loqui, quia antea Priscillam memoravit et postea de Themisone verba facit (§ 5), quem fautorem et comitem Maximillae fuisse ex anonymo constat (Eus. h. e. V, 16, 17). Si deinde Apollonius ad suos ipsius aequales transit (§ 6), nos fugere non debet, eum his saepe primos prophetas annumerare, ut **summatim** de Cataphrygiis prophetis dicat (§ 7, 8, 11).

phetam seu prophetissam fuisse, anno 212 autem iam diutius[1]) prophetissam in Phrygia denuo egisse. Inde efficitur, Epiphanium fontem usurpasse, qui illo spatio temporis est compositus, quod circumscriptum est annis 180 et 212 seu potius 180 et circiter 207.[2]) Nam Epiphanius affirmat, post Maximillam prophetam seu prophetissam non fuisse.[3]). Atque nunc aptum videtur, ad priora redire et rationem inter Tertullianum et inter nostrum locum intercedentem denuo inspicere. De qua si supra diximus, Tertullianum et nostri loci fontem ad idem fere tempus esse referendos, nunc quaerimus, utrum verisimile sit, hunc illum antecessisse an illum hunc. Sine dubio ille iam scripserat. Atque etiam asserimus, nostrum locum ad Tertullianum respicere. Qua in re mihi maximi ponderis esse videtur initium octavae paragraphi: „*Εἰ δὲ καὶ πάλιν θελήσουσι λέγειν, οὐχ ὅμοια τὰ πρῶτα χαρίσματα τοῖς ἐσχάτοις, πόθεν τοῦτο ἔχουσι δεῖξαι;*" Etenim quisquis haec verba legerit, mihi assentietur, ea post antecedentia primo valde offendere, cum interrogandum sit, quomodo idem et ecstasim formam prophetiae veteris ac novi testamenti esse affirmare possit et novissima charismata alia esse ac priora. Is autem non diutius stupebit, qui opinionem amplexus erit, Tertullianum hic refutari. Nam is memor erit, esse huius scriptoris iure consulti proprium, adversario, ut plane eum evincat, hoc illud quasi per ludum concedere et deinde alia via suam causam agere. Qua in re qui scriptor cum Tertulliano sit comparandus, nescio. Quam ob rem mihi verisimillimum est, nostrum fontem contra Tertullianum pugnare.[4]) Cui opinioni,

1) Eus. h. e. V, 18, 9: *ὃν ἡ προφῆτις συνόντα πολλοῖς ἔτεσιν ἀγνοεῖ.*

2) Eus. h. e. V, 18, 9 v. supra.

3) Epiphan. Pan. haer. 48, 2.

4) Nota etiam, nos eundem usum verborum spiritus (*πνεῦμα*) et animae (*ψυχή*), quem apud Tertullianum invenimus animam nonnisi

quid obstet, non video. Nam etiam id pro certo habendum est, quod Pamelio praeeunte etiam Zahn suspicatur[1]), Tertullianum de ecstasi graece scripsisse. Primo enim hi libri non solum in tabula latini libri Agobardini non reperiuntur, sed etiam sicut cetera graeca opera Tertulliani sunt deperdita. Deinde saltem ultimus liber eorum contra Graecum scilicet Apollonium est editus. Postremo Hieronymus titulum librorum graece tradit (l. c. c. 40).[2]) Quodsi verisimile est, nostri loci fontem Tertulliani libros de ecstasi impugnasse, etiam plus efficitur. Etenim aliae causae, quas explanare longum est, et illud Tertulliani „Et nos quidem postea agnitio paracleti atque defensio disiunxit a psychicis“[3]) evincunt, primos libros de ecstasi iam eo tempore esse scriptos, quo Tertullianus ab ecclesia catholica se segregavit (a. 205—206). Ergo coniicere possumus, nostri loci fontem fere a. 205—206 esse conscriptum.[4])

Iam vero in fine nostrae dissertationis sumus. Non

---

ex necessitate „spiritum“ nominantem et hoc verbum inprimis divino spiritui reservantem (de anima 11 ed. Oehler II p. 572 sq.), etiam nostro loco deprehendere. Nam secundum rectam lectionem corrigit se auctor pro *πνεῦμα* ponens *ψυχή* et naturae hominis nondum renati nihil nisi corpus terrenum et animam adscribit: § 5 *ἀποκέκλεισται γὰρ τὸ ὄμμα καὶ ἡσυχάζει τὸ κινοῦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ πνεῦμα, εἴτ᾽ οὖν ψυχή* . . . . . . *τὸ μὲν γὰρ ὄργανον φύσεως ὂν γηΐνης καὶ περιττὴν ψυχὴν ἔχον.* Cf. Tatiani *Λόγος πρὸς Ἕλληνας* c. 12. Nota porro, quod Praedestinatus (c. 26) de Tertulliani libris de ecstasi tradidit, Tertullianum in eis contra Soterem dixisse: „Hoc solum discrepamus, quod secundas nuptias non recipimus, et prophetiam Montani de futuro iudicio non recusamus.“ Secundarum enim nuptiarum reiectio sola inter mores Cataphrygum nostro loco fusius disseritur (§ 8. 9).

1) G. d. n. K. I, 1 p. 49.

2) v. supra.

3) Adv. Prax 1. Mihi vero constat, defensionem paracleti inprimis fuisse defensionem ecstasis.

4) Quo iterum verisimile fit, Tertullianum in posterioribus suis libris ad hunc respexisse, quod iam probavimus.

modo multas reliquias prioris temporis nostro loco reperimus, sed etiam has omnes fere idem tempus indicantes atque partim fortasse etiam annum accuratius designantes.

Haec dissertatio est pars maioris disquisitionis, quam editurus sum inscriptam „Ueber Zusammensetzung und Quellen der Berichte des Epiphanius über die Kataphryger und Quintillianer unter besonderer Berücksichtigung der Hauptquelle."

Theses.

I.

Rectissime Lipsius Epiphanii de Cataphrygibus relationem (Pan. haer. XLVIII) a paragrapho secunda usque ad tertiam decimam ex vetere quodam fonte pendere censet.

II.

Multa indicia hoc loco sunt prioris aetatis.

III.

Certa dispositio, quae totum locum complectitur, indicat, eum ex uno fonte fluxisse, ad quem Epiphanius iam media prima paragrapho transit.

IV.

Verisimillimum est, hunc fontem in occidente tertio saeculo ineunte ortum esse.

V.

Inter omnes, qui contra Montanistas scripsisse traduntur, solus Rhodon cum huius fontis indiciis convenit.

VI.

Propter sui fontis vetustatem noster locus non modo ad historiam Montanismi explorandam magno momento est, sed etiam de usu scripturarum circa a. 200 in occidente divulgato nos docere potest.

VITA.

Natus sum Henricus Carolus Gisbertus Augustus Voigt Stadae in urbe Hannoverana a. 1860 a. d. III Cal. Jul. patre Henrico Voigt nunc doctore theologiae Regimontano matre Clara Julii Mueller filia. Qui carissimi parentes, cum a. 1864 Regimontium transmigrassent, me, ut elementis litterarum imbuerer, gymnasio Palaeopolitano tradiderunt. Ex hoc a. 1878 cum testimonio maturitatis dimissus civibus Albertinae adscriptus sum. Tum frequentavi doctissimorum virorum collegia ex ordine theologorum Erbkami, Sommeri, Gravii, Jacoby, patris mei, ex ordine philosophorum Quaebickeri, Friedlaenderi, Ruehlii atque receptus sum in seminaria exegetica a viris illustrissimis Sommero et Gravio, in seminarium dogmaticum a patre meo. Deinde a. 1880 Lipsiam veni, ubi me docuerunt praeclarissimi viri Kahnis, Delitzsch, Luthardt, Fricke, Hofmann et benevolentia doctorum Luthardti et Hofmanni mihi licuit interesse exercitationibus dogmaticis et catecheticis. Denique a. 1881 cum academiam Berolinensem adissem, ibi non modo audivi illustrissimos viros Steinmeyer, Weiss, de Goltz, Pfleiderer, Messner, Lotze, Hinschium, sed etiam admissus sum ad Dorneri societatem systematicam et exegeticam Weissii. Omnibus his venerabilissimis viris gratias habeo maximas et semper habebo. A. 1881 exeunte ad parentes reversus studiis meis incubui atque vere a. 1882 veniam contionandi nactus non multo post in coenobium cathedralis Berolinensis intravi, quod floret sub ephoratu Rudolfi Koegel. Etiam huic egregio viro de me quoque optime merito maximas gratias ago. A. 1883 examine pro ministerio absoluto non multo post ordinatus sum, ut sub



ecclesiae cathedralis ministris auxiliarii munere fungerer, et inter fratres illius convictus collegiis exegeticis praesidebam. Jam proximo vero anno a principe Henrico IV de Reuss-Koestritz in palatium Ernestobrunnense, quod situm est non procul Vindobona, vocatus sum, ut curarem evangelicos, qui non multi illa regione congregati sunt. Per totum annum usque ad a. 1885 huic officio me dedidi. Tum a consistorio Berolinensi Copenicam missus sum, ut negotia apud ecclesiam regiam administrarem, et paulo post ab huius ecclesiae presbyterio et repraesentantibus parochus electus sum; qui adhuc fungor.